HISTORIA PRAENESTIS OPPIDI.

PRAECEDIT NOMINIS EXPLICATIO ET TOPOGRAPHIAE BREVIS EXPOSITIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINIS CONSENSU

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

VENIAMQUE LEGENDI OBTINENDAM

SCRIPSIT

ET

XXI.

DIE VII. MENSIS FEBRUARII

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS GUSTAVUS ADOLFUS KNIES,

HASSO MARBURGENSIS.

RINTELII MDCCCXLVI.

TYPIS BOESENDAHLII.

1846

Oltre Suaresio, e Cecconi, noti per le loro stampe, anche il Pennazza, ed un Anonimo, autori di due Manoscritti, che si conservano nella Barberina sonosi impegnati a trattare ex-professo di Palaestrina: Tante però sono le cose da essi omesse, i loro abbagli, e le notizie sopravvenute, che l'Estensore delle presenti Memorie sicuro di non incorrere la taccia di arrogante, ha preso a risolcar questo campo.

Petrini.

Servius ad Aeneid. VII, 678: "de civitatibus totius orbis, inquit, multi quidem ex parte scripserunt; ad plenum tamen Ptolemaeus graece, latine Plinius; de latinis etiam Higinus plenissime scripsit et Cato [1]) in originibus". Verum neque horum quae adhuc exstant, neque aliorum veterum scriptorum libri, quos praetermisit Servius, quidquam valere videntur, si quis accuratius in singularum Italiae urbium historiam inquirit. Atqui historia oppidorum Italiae et imprimis Latii maximi est momenti ad ipsius Romae condicionem bene pervestigandam. Et quamvis permulti viri docti de singulis Graeciae urbibus libros et libellos scripserint: quod ad Italiae oppida attinet labor restat fere integer, nisi forte materies undique collecta et rerum factorumque indigesta moles historia existimatur.

Equidem Praeneste mihi delegi, quod oppidum haud parvi momenti est ad describendas omnes eas res, quae ad historiam, ad sacra, ad totam denique Romanorum antiquitatem pertinent. Ubi hic libellus iam ad finem fere perductus fuit, certior factus sum, oblatam esse occasionem legendi aliorum virorum libros, quos de eadem Praenestinorum historia scripserint [2]). Attamen non poenitet operis incepti; nam cuius rei Petrini in praefatione eos accusat, qui ante ipsum Praenestinorum historiam scripserunt, eadem maiore etiam iure in ipsum verti potest, quippe qui arte critica prorsus nulla adhibita de iis, quae a scriptoribus non commemorantur, ex voluntate, non ex iudicio disseruerit, quae

---

1) Solin IX. Sed Italia tanta cura ab omnibus dicta est, praecipue a M. Catone, ut iam inveniri non possit, quod non veterum praesumpserit diligentia.

2) Suaresius: historia Praenest. in Graev. et Burm. thes. antiq. et histor. Ital. T. VIII. P. IV. Leonard. Cecconi: storia di Palaestrina. Ascoli 1756. Hic liber mihi ad manum non fuit, verum Petrini, cuius librum legi, illo vel maxime usus est.

Petrini: memorie Praenestine disposte in Forma di Annali Roma 1795.

Antonius Nibby, vir de Latii historia optime meritus, in libro, qui inscribitur: viaggio antiquario ne'contorni di Roma. Roma 1819. brevem dedit Praenest. historiae adumbrationem, quam, ut totum illum librum, paene ad verbum germanice vertit:

Chr. Müller: Die römische Campagne. s. v. Praeneste, quamvis omnia suo nomine professus sit.

commemorantur, quamvis prorsus opposita sint, omnia incassum ut vera enarraverit. Nam ex chronicorum more singulos annos recenset, ita quidem, ut sub anno, quo Praeneste venerit scriptor, omnia proferat, quae ab illo de oppido tradita sunt. Praeterea ea fuit horum scriptorum ratio, ut Praenestis veteris historia praefationis instar uterentur cum ad describendam ecclesiasticam Palaestrinae historiam, tum ad sanctorum vitam copiose exponendam, quibus oppidum clarum fuit. Accedit illud, quod nostra aetate viri doctissimi magna cum diligentia et feliciore numine ducti monumenta Italiae perquisiverunt et in describenda topographia summam posuerunt industriam. Itaque ego, qui hoc tempore Praenestinorum historiam enarrandam suscepi, pluribus et novis auxiliis adiutus rem tractatam bene retractare possum.

Verum non illud mihi proposui, ut quaecunque de Praeneste oppido disseri possent, exponerem, sed solam oppidi usque ad finem Romani imperii historiam scribendam suscepi et ea tantum praeterea adumbravi, quae ad ipsam historiam bene exponendam opus essent. In aliud tempus igitur mihi seposui describenda Praenestinorum ingenium, mores, dialectum; sacra cultumque, magistratus et sacerdotia, Fortunae aliorumque deorum templa, sortes et collegia, scholam Faustinianam et clarissima oppidi aedificia, fastos Praenestinos, alia. Etiam de lithostrotis meam sententiam alio loco pluribus argumentis firmare studebo, quamvis ut ea omnino praetermitterentur, fieri non potuerit.

I.

Praeneste Latii fuit oppidum. De nomine ipso non eadem est omnium scriptorum sententia. Et Praeneste quidem, non Preneste scribendum esse, recte monuit iam Keucher ad Frontin de colon. [1]) p. 411. Quamvis enim constet a latinis scriptoribus nonnunquam et litteram ê et litteras ae in vocibus scribendis promiscue usurpari, ut in voce saeculum, caelo, laevis, aliis, tamen, quae in illis valet ratio, aliena est a scriptura vocis Praeneste. Quod hanc alteram scripturam codicum paene omnium tuetur auctoritas, non potest illud quidem certum argumentum haberi, quum diphthongi in MSS. passim negligantur; accedit, quod Graeci diligentius rectam verborum scripturam exhibent, latini autem librarii vocales simplices quam diphthongos scribere malebant, et in radicibus omnino praevalet vocalium ratio. Verum Graecorum formae *Πραίνεστος*, *Πραινέστη*, aliae omnes scripturam tuentur Praenestis, quam praeterea vera huius vocis derivatio commendat. Quamvis vero omnes graeci scriptores ea in re consentiant, quod diphthongum *αι* in scribenda hac voce exhibent, tamen formarum, quibus utuntur, magna est varietas. Legitur enim *ἡ Πραίνεστος* [2]) (et fortasse etiam *τὸ Πραίνεστον*), *ἡ Πραινεστός* [3]) (*τὸ Πραινεστόν*), *ἡ Πραινέστη* [4]), *τὸ Πραινέστε* [5]); longe usitatissima est forma *ἡ Πραίνεστος*. Verum etiam apud latinos scriptores duplex forma habetur, quarum altera neutro, altera feminino genere usurpatur. Et illud quidem constat, neutrum genus apud scriptores sermonis pedestris solum valere [6]). Poetae promis-

---

1) ed. Amstelod. 1661.

2) Nonnunquam dubium videri potest, utrum forma *Πραινεστος* obversetur an *Πραινεστον*; verum consentaneum est, Appianum et Strabonem semper feminino genere usos fuisse, quum id certe exhibeatur ap. App. b. c. I, 94 et ap. Strab. V, 3, 10.

3) Appian l. l. — 4) Plautus capt. IV, 2, 102. — 5) Dio C. fr. peir. ed. Vales. p. 657. 363.

6) Cf. locos passim laudatos; idem comprobant aliarum urbium nomina, quae extremas syllabas este exhibent, ut Tergeste ap. Pomp. Mel. II, 3 et Ateste ap. Tac. hist. III, 6.

cue utroque genere utuntur [1]). Genus femininum autem non ex Graecorum more tantum usurpatum est, id quod Heinrichius ad Juven. III, 170 de hac voce contendit, sed omnino poetarum etiam latinorum haec est consuetudo, ut per synthesin urbium nomina, quae masculini aut neutrius sunt generis, feminino genere usurpent [2]).

At vero Servius ad Aeneid. VII, 678 prorsus diversam sententiam profert; nam „dicimus, inquit, et hoc Praeneste et haec Praenestis"; igitur non duplex genus eiusdem formae, sed duplicem formam esse contendit. Sed is error est Servii, cuius auctoritas in quaestionibus grammaticis fere semper rejicienda videtur. Forma Praenestis nusquam reperitur; ablativus, qui omnibus locis exhibetur Praeneste, proprie Praenesti legatur opus esset, si a nominativo Praenestis duceretur, neque graeca forma Πραίνεστος ullius ponderis est, quum Graeci omnino commutaverint formas. Item Nepete oppidum, quod nomen Livius ut neutrius generis et tertiae declinationis usurpat, apud Graecos vocatur Νέπετος [3]). Minime vero vox Praenestis, ubi neutro genere usurpatur, nomen indeclinabile est, id quod a nonnullis male contenditur. Dativus, quantum scio, omnino non reperitur, genitivus autem est Praenestis [4]).

Nomen gentile est Praenestinus; apud Graecos plerumque legitur Πραινεστῖνος [5]), rarius Πραινεστινός [6]), Πραινέστιος [7], Πραινεστηνός [8]).

Scriptorum vel maxime diversae sunt sententiae, unde Praenestis nomen ducendum sit. Eadem quaestio agitur, ubi huius oppidi conditor ita commemoratur, ut Praenestis nomen ab eo dici appareat. Jam quemadmodum de reliquorum Italiae oppidorum atque de ipsius Romae et nomine et conditore tanta exstitit dissensio, ut origo diligenter non possit agnosci, atque quemadmodum omnino urbium nomina ex libidine explicata sunt, ut earum origo inde eluceat, sic de Praeneste quoque variae feruntur opiniones, in quibus magnam partem lusus ingenii poetarum scriptorumque, in nonnullis grammaticorum historiaeque pervestigatorum diligentiam magis et operam, quam ingenii acumen perspicias. Omnes autem scriptores ita in diversas partes discesserunt, ut alteri ex Graecorum fama, alteri ex Aboriginum Italiae historia originem repetendam esse censuerint. Atque ii, qui

1) Virgil. Aen. VII, 682. Horat. III, 4, 22. Stat. silv. IV, 4, 15. — Virgil. Aen. VIII, 561, Juvenal. III, 170.

2) Jam Aldus sen. item de hac voce iudicavit sec. Salmas. ad Solin. p. 63: apud Virgilium figura synthesis videtur Aldo seniori, quae discordat cum voce, cumque suo concordat significatu, ita Camerino sub ipsa sc. civitate.

3) Cf. quae de hac voce bene disputavit Drakenb. ad Liv. VI, 9, 3.

4) Quamvis genitivus duci possit a nominativo Praeneste gen. femin. usurpato ap. Propert. II, 32, tamen id minime quadrabit ad Vell. Pat. II, 17. si comparaveris eiusdem libri c. 26. Eodem modo explicandus videbitur gen. Tergestis ap. Vell. Pat. II, 110. si comparaveris Pomp. Mel. II, 3.

5) Steph. Byz. s. v. — 6) Zonar. ann. VIII, 3. — 7) Appiani optimi codd. bis exhibent hanc formam: b. c. I, 87 et I, 94; tamen jam Musgrav. ad. l. l. eam corrigendam esse censuit.

8) Dion. Hal. (ed. Sylb.) l. VIII p. 552 et l. V p. 326.

Praenestis nomen et originem a Praenesto, sive Praenestene, Ulyssis nepote, duxerunt [1]), levissime in hanc rem inquisiverunt, utpote qui ex urbis nomine conditoris nomen finxerint. Plutarchus [2]) fere eandem fabulam secundum tertium Aristoclis de rebus Italicis librum sequitur, ita tamen ut oppidum ἀπὸ τῶν ἀγροίκων πρινίνων κλάδων, quibus coronatos Telegonus vidisset incolas saltantes, primo Πρένιστον et deinde detorta voce a Romanis Praeneste appellatum esse enarret.

Cato apud Servium ad Aen. VII, 682 (cf. Festus s. v. Praeneste) aliam profert sententiam; nam Praeneste appellatum esse oppidum existimat „quia montibus praestet". Idem Verrius Flaccus comprobat Catonis auctoritatem sequutus, ut recte suspicatur Grotefend [3]). At vero iusto magis ex loci natura atque ex litterarum sonique similitudine disseruisse videtur, neque neglectis linguae legibus veram rationem sequutus est. Secundum Catonem minime explicatur littera n in voce Praenestis et littera extrema e prorsus abundat [4]).

Diversam sententiam Servius ipse exhibet l. l. Nam „Praeneste, inquit, locus est dictus ἀπὸ τῶν πρίνων h. e. ab ilicibus, quae illic abundant" [5]). Sed quamvis haec sententia loci natura commendetur, tamen, quominus eam comprobemus, linguae ratio valde obstat. Nam neque aliud vestigium vocis illius in latina lingua invenitur, neque graeca littera ι in latino sermone exprimi solet litteris ae, neque syllabae este, quas aliorum quoque oppidorum nomina exhibent, ut Ateste, Tergeste, eandem notionem habent, qua leguntur syllabae e t u m.

Verum alia vox commendatur, unde vocem Praenestis ducendam esse existimo. Radicem enim sitam esse arbitror in Graecorum voce πρήν sive πρηών, quae praecipitem et devexum collem significat, quaeque in latina voce p r o n u s (πρανής [6])) perspicitur, ita ut Praeneste proprie urbem significet in praecipiti loco conditam, id quod loci natura vel

---

1) Solin IX. Praeneste ut Zenodotus refert a Praenestene Ulyssis nepote, Latini filio. Steph. Byz. s. v. cf. Dac. ad Paul. Diac. s. v. — 2) parall. 41 (ed Reiske VII p. 253).

3) Zur Geographie und Geschichte von Alt-Italien. Hannover 1840. III p. 11.

4) Catonem omnino malum nominum ducendorum auctorem extitisse, apparet ex Serv. ad Aen. XII, 134 et ad X, 184. Male in Catonis sententiam invehitur W. Gell: the topography of Rome and its vicinity. London 1834. II, 179: but this derivation seems fanciful: for though the citadel of Praeneste is singularly elevated, yet the mountains behind are so lofty, that there rather may be said to command Praeneste! Verrium Flaccum hac in re Catone non feliciorem fuisse, comprobat Gellius n. a. XVI, 14, 3 ubi eum vocem festinandi a fando duxisse legimus.

5) cf. n. 2) et scholiast. ad Juven. III, 190 ap. Jahn. proleg. ad Gus. p. CXX: Praeneste — dicitur a potoy pinu (ἀπὸ τοῦ πρίνου) i. e. ab ilicibus, qui ibi abundant. Est enim ilex arbor glandifera et dicitur in graeco pinos" q. s.

6) Dion. Hal. p. 163. 494. —

maxime commendatur [1]). Antiquissimis temporibus Praeneste alio nomine appellatum fuisse commemoratur, id quod de compluribus Italiae urbibus contenditur, veluti Romae ipsius vel vetustius vel sanctius nomen exhibetur. Praeneste Stephane quondam appellatum esse tradit Plinius, et Strabo oppidum Πολυστέφανον antiquitus dictum esse narrat [2]). Verum hoc nomen neque sanctius aut solenne fuit, neque quia conditor urbis incolas ilicis ramis coronatos invenerat, oppidum ita appellatum est, sed propter moenia et turres, qnibus arx erat munita et cincta [3]); neque nomen proprium fuisse videtur, sed adjectivum vel potius praedicativum. Nomen Palaestrinae, quo nostra aetate Praeneste oppidum appellatur, qua de re nunquam dubitatum est, primum legitur in codice Farfensi de beneficiis regiis ann. 873 p. Chr. [4])

II.

In describenda topographia optimum visum est, hanc tenere rationem: qui singulas Praenestis oppidi partes descripserunt, omnes ea in re peccaverunt, quod nimium tribuerunt locis, in quibus monumenta, statuae, aliae res qualescunque nostra aetate repertae sunt. Nam oppidnm saepius prorsus dirutum ita denuo extructum est, ut locus mutatus sit. Quam ob rem imprimis sequendi sunt scriptores, quamvis inter ipsos distinguendum sit, utrum oppidum ante Syllae expugnationem descripserint, an testimoninm suae tantum aetatis ediderint.

Praeneste distabat Roma, unde moenia conspici poterant [5]), millia fere viginti tria in orientem, id quod situs oppidi, qui nunquam dubius fuit, adhuc testatur [6]). Idem de-

1) Est radix quae eadem perspicitur in verbo πρηνίζειν, de cuius significatione optime disseruit Aug. Meinecke: de Euphorione Chalcid. in: Analecta Alexandrina p. 52. —

2) Plin. III, 5, 9. Strabo V p. 165.

3) Pindar. ol. VIII, 42: ἐπὶ στέφανον Ἰλίῳ τεῦξαι. scholiast. ad h. l. (ap. Boeckh.) στέφανος γὰρ ὥσπερ τῶν πόλεων τὰ τείχη. — Cf. W. Gell. l. l. II, 180. Abeken Mittelitalien p. 76. Draudius ad Solin. IX urbem „propter votivas multorum coronas quibus inclytum — templum Fortunae frequentabatur florente Romano imperio admodum celebre“ ita appellatam esse opinatur, commemorans et negligens „Romano imperio florente“ id factum esse, quo tempore Praeneste polystephanon non appellabatur.

4) Petrini l. l. monumenti I. p. 393: liber continens emphyteuses Farfenses fol. 14 let. B: Pelestrina.

5) Strabo V, 3, 11.

6) cf. chart. ad l. l. W. Gell. et chartam ad l. Westphal. qui inscr. Die römische Campagne. Berlin und Stettin 1829.

clarant Itiner. Anton., tab. Peutinger., scriptores. Cur Florus (I, 18) et Eutropius (II, 7) paululum dissentiant recte explicavit Niebuhr. l. l. III, 581. Neque praetermittendum videtur, quod Strabo, qui haud leviter talia perscrutabatur, millia viginti quinque fuisse contendit [1]). Sed id ipsum, quod satis caute talia profert, dissensionis causam indicat. Nam reliqui scriptores omnes a porta Esquilina mensi esse videntur; Strabo recte initium fecit a milliario aureo, quod in capite fori Romani statutum erat [2]). Inter Romam et Praeneste erat via Praenestina per Gabios ducta, quod oppidum media fere via Praenestina positum erat [3]). Ea pars viae praenestinae, quae Roma Gabios ducta erat, etiam via Gabina nominabatur [4]). Initium cepit haec via Roma a porta Esquilina, ita ut via Latina in sinistrum et via Collatina proxima in austrum esset [5]).

Ager Praenestinorum atque oppidum ipsum paululum recessit in fines Hernicorum et Aequorum, qua re factum esse videtur, ut saepius una cum his populis contra Romanorum imperium pugnaverint; praeterea imprimis Tiburi, Tusculo, Pedo, Gabiis, Velitris Latii oppidis et Anagniae Hernicorum Praeneste vicinum erat, et cum his quoque populis Praenestini ad bella gerenda saepe coniuncti erant. Agrum Praenestinorum, quatenus versus Albanos montes situs erat, antiquissimis temporibus ignis subterranei eruptionibus tentatum fuisse, non est cur dubium existimetur. Fere totum Latium hanc ostendere soli condicionem iam Müllerus l. l. I, p. 3 contendit; verum recte singulis oppidis, quibus illam sententiam comprobat, Praeneste non adnumeravit; nam mons, ad quem Praeneste situm erat, pars est montis Apennini, qui ignis eruptionibus prorsus caret, unde factum est, ut proxima circa oppidum regio non eximiam terrae vulcanicae fertilitatem, sed tristem et sterilem indolem exhibeat, qualis describitur apud Tournon l. l. I, p. 98 [6]) q. seq., quam

---

1) Strabo V, 3, 10. De Eutropii et Strabonis dissensione cf. Nibby l. l. I p. 268.

2) Plin. h. n. III, 5, 66. Plut. Galb. 24: ἐβάδιζεν εἰς ἀγορὰν, οὗ χρυσοῦς εἱστήκει κίων, εἰς ὃν αἱ τετμημέναι τῆς Ἰταλίας ὁδοὶ πᾶσαι τελευτῶσιν. Milliar. aur. ab Augusto conditum Dio LIV. 8. Nisi forte Strabo viam Praen. Roma a porta Esquilina usque ad arcem Praen. emensus est. Cf. p. 11. n. 11.

3) Frontin. de aquaed. sub init. Strabo V, 3, 10. Dion. Hal. IV, 252. Appian b. c. V, 23. De via Praenestina alia permulta disseruerunt Tournon études statistiques sur Rome. Paris 1831. II, 160 et Westphal l. l. p. 78, p. 98, p. 106. Scriptorum locos vid. ap. Suares. I, 19 p. 36. Petrini nonnulla profert s. a. 195 p. Chr. quia illo anno curator quidam viae Praen. vixit!

4) Liv. II, 11. III, 6. Gruter. inscr. p. 150 nr. 8.

5) Etiam in hac via sepulcra et villas exstruxerunt Romani. De pulcherrima villa, quam Gordianus III in via praen. exornavit, cf. Iul. Capit. Gordiani tres 32. De Virgine aqua fusius disseruit Nibby l. l. I p. 228.

6) Le pays autour de cette ville (Palestrine) diffère totalement de celui, que nous avons précédemment parcouru: au lieu de pentes adoucies, de croupes abaissées, comme celles des monts Cimini et Albanes, les montagnes, qui dominent Palestrine, sont rapides, ravinées, couronnées

diversam montium Albanorum et montis Apennini naturam Micali fere praetermisisse videtur [1]). Neqne hoc Praenestinorum ultimam prolem a terrore ignis in dies latius erumpentis defendit. Nam nostro tempore actis diurnis certiores facti sumus de montium ignivomorum eruptionibus, quae tam celerem minatae sint interitum, ut jam omnes fere incolae urbem infelicem Fortunae consecratam reliquerint [2]).

Strabo in fine descriptionis Praenestis l. l. addit verba: ῥεῖ δὲ διὰ τῆς χώρας Οὐέρεσις ὁ ποταμός. Sed neque Veresis neque alius maior fluvius, qualem brevitas horum verborum demonstrare videtur, per Praenestinum fluit agrum. Petrini (ann. 2 p. Chr. n.) de Osa Strabonem cogitasse arbitratur, qui est fluvius agri Gabini; at quum Strabonem errasse necesse sit, rectius statuendum videtur; eum nomina, non agros commutasse. Itaque Trerum fluvium, qui ex rivis agri Praenestini et Cavorum agri exoritur, a Strabone significatum esse existimo. [3])

Praeter ilices, quibus agros Praenestinorum abundasse supra vidimus, praeclara erat rosa Praenestina, secundum Plinium [4]) „celeberrimum genus rosarum, quae novissime desinebat"; bulbi, quamvis nusquam nisi e semine nascerentur, in Praenestinis campis sponte nascebantur [5]) et nux minuta plurima occurrebat, ita ut fortasse hanc ob causam Praenestini ipsi nuculae sint appellati [6]). Vinum Praenestinum minus pingue erat, quam Marsicum, [7]) quamvis vini cultum nomen „vindemiatoris mordacis" testetur, quo Horat. sat. I, 7 Rupilium Regem Praenestinum appellat. Verum olivae agri Praenestini iam apud veteres in celeberrimis ponebantur [8]).

---

de roches grisâtres: les beaux arbres, les végétations vigoureuses des monts volcaniques ont fait place à une nature pauvre et languissante q. seq.

[1]) Micali: Italia avanti il dominio de' Romani, trad. par Raoul-Rochette Paris 1824. I p. 193 n. 3. Sur toutes les montagnes adjacentes au Latium et notamment aux monts de Tusculum et d'Albanum on voit des traces manifestes d'anciens volcans.

[2]) Cf. acta diurna anni 1844 et imprimis eum libellum, qui inscribitur: Das Ausland. Abeken l. l. p. 43: Auf dem Gebiet von Palästrina erscheinen Spuren eines Kraters —. Ahnungen des einst hier tobenden Feuers spricht die Sage von Cäculus aus.

[3]) De Trero fluvio, qui hodie Sacco vocatur, cf. Westphal l. l. p. 81 et p. 104. Eundem fluvium a Strabone indicatum esse existimat Capmartin de Chaupy: découverte de la maison de campagne d'Horace. Romae 1767. II p. 320.

[4]) h. n. XXI, 4. cf. Martial. epigr. IX, 40. Plin. l. l. XIII, 21. — [5]) Plin. l. l. XIX, 5, 30.

[6]) Plin. h. n. XV, 22, 24. Festus et P. Diac. s. v. nuces et nuculae. Cato de R. R. c. 8. cf. c. 51 et 145. Ad eandem rem referendum puto Cic. de orat. II, 62.

[7]) Athen. deipnos. I, 15.

[8]) Anecdota graeca e codd. man. ed I. A. Cramer Oxonii 1841. vol. IV p. 315: Τρεῖς εἰς ἔλαιον εἰσὶν εὐφυεῖς πόλεις, Νίκαια καὶ Πραίνεστος ἦτ' Ἐρεχθέως. De nostra aetate cf. Tournon l. l. I p. 99 et alios passim.

Praeneste oppidum situm erat in montibus. Qui urbi vicini erant, appellabantur montes Praenestini [1]). Oppidum frigidam admodum coeli temperiem habuit, ideoque Horatius urbem appellat frigidam et Iuvenalis gelidam, quod frigus larga aqua e montibus in urbem fluente auctum esse videtur [2]). Nihilominus Praeneste saluberrimam exhibuit vivendi condicionem; nam et Augustus', quamvis aegrotus esset atque in eligendis locis, ubi commoraretur, vel maxime cautus, libenter Praeneste recedebat [3]), et Horatius, vir haud ignarus, quomodo bene lauteque viveretur, Praeneste - sive villam ibi possedit [4]) sive Augustum sequutus est — recedere solebat, ubi Musis atque sibimet ipsi viveret [5]). Et praeclarae erant aestivae Praeneste deliciae [6]) propter aërem frigidiorem, et Romanorum dites in Praenestinis quoque montibus alta villarum culmina sibi parasse videntur [7]), id quod tantum in locis maxime amoenis fieri solebat. Imprimis Romanorum fere omnes imperatores libenter in Praenestino secessu vitam degebant [8]), neque singuli in villa privata gentis suae habitasse videntur, sed in publicis Caesarum aedibus [9]).

Arx Praenestis oppidi sita erat in summo monte, qui interposita voragine cum reliquis montibus non conjunctus [10]) et tantae altitudinis erat, ut qui recta via a radice usque ad fastigium ascenderet, duo stadia emetiretur [11]). Consentaneum est, iam ab initio oppidum non solum in montis fastigio, sed etiam in ipso devexi montis praecipitio exstructum fuisse, quum antiquissimi muri reliquiae moenia ab arce circa oppidum utrimque usque ad vallem perducta fuisse ostendant, atque ipsius muri genus comprobet, tantam hominum multitudinem ad moenia illa exstruenda opus fuisse, ut omnes incolae in solo montis fastigio habitare non potuerint. Notum est, quantum certamen inter viros doctos

---

1) Iuvenal XIV, 86. Liv. III, 8, 6 alii.

2) Cf. alter scholiasta ad Juv. l. l. (Heinr. p. 181): ›aut ob aquarum abundantiam dicit ›gelida‹, quia omnia, quae in urbem inde veniunt, alit frigorosa‹. Et moenia cuniculis perforata ex parte quidem ita constituta esse, ut aqua inde deflueret, aut ibi colligeretur, test. Strabo V, 3, 10: *ταῖς μὲν ὑδρίας χάριν.*

3) Sueton Octav. 72 cf. 82.

4) Hanc Biondii, Suares. et Ceccon. sententiam refellit Capmartin l. l. II, 268 et passim.

5) od. III, 4, 23. ep. I, 2, 2. — 6) Florus I, 11, 7.

7) Juvenal. XIV, 86, cf. Plin. V. ep. 6. Symmachus VII ep. 35. III, 50. Heinr. ad Juven. schol. p. 480.

8) Cf. quae hac de re infra narrabuntur. Argumentis firmis prorsus caret eorum opinio, qui Antonini villae praen. (Iul. Capit. M. Anton. phil. 21.) reliquias ad urbem, quae hodie Genazzano vocatur, inventas censuerunt. Westphal l. l. p. 105.

9) Symmach. ep. X, 4 loquitur de ›Caesariana possessione‹. Cf. Capmartin l. l. II, 325. Villam privatam gentis Claudiae Praeneste fuisse, Petrini (ann. 4. p. Chr. n.) certis argumentis firmare non potuit.

10) Strabo V, 3, 10. W. Gell II, 181. — 11) Capmartin l. l. II, 305. W. Gell II, 180. Strabo l. l.

de moenium structura, quae vocatur cyclopica — genus incertum sensu latiore — exstiterit, et adhuc sub judice lis est. Verum certis argumentis comprobata videntur haec:

W. Gell in pervestigatione Graeciae monumentorum et qui eum sequuti sunt recte distinguunt inter moenia cyclopica et polygona, quae vocantur; quae diversa esse praeter alios bene docuit Raoul-Rochette contra Petit-Radel [1]). Notum est, quid intersit inter utrumque genus. Deinde: cyclopicum genus vetustius est; ejus monumenta in Italia perquam rara reperta sunt, et iam illo tempore, quo historiae certis testimoniis comprobatae statuti sunt termini, gentes eo non usae sunt; genus polygonum autem temporis ratione habita sequitur cyclopicam structuram, per magnam Italiae partem [2]) ejus reliquiae adhuc exstant, per magnum temporis spatium Italiae gentes hoc moenium exstruendorum genere usi sunt: addiderim non tantum usque ad regum Romanorum tempus, *sed eo usque, quo Italiae populi Romanorum imperio subjecti sunt.*

Huius alterius generis speciem exhibent vetustissima Praenestis oppidi moenia, quae adhuc habentur [3]). Praenestini eodem moenium exstruendorum genere eo usque usi fuisse videntur, quo oppidum a Sulla expugnatum est. Nam quae supersunt reliquiae aut genus polygonum exhibent, aut genus reticulatum incertum [4]), quo Sullae tempestate utebantur, aut genus massae quadratae [5]), quod vocatur, quo Romani imprimis imperatorum tempori-

---

[1]) Imprimis in libello qui inscr: moniteur parisien ann. 1812 cf. nro. 110 q. seq. Petit-Radel fusius suam sententiam exposuit in libro qui insc.: Voyage historique, chorographique et philosophique dans les principales villes de l'Italie en 1811 et 1812. Paris 1815. Cf. I. p. 228. Raoul-Rochette ad Micali l. l. II, 156 n. 2: Quoiqu 'il ait plu à M. Petit-Radel d'appeler ces murailles (polygones) cyclopéennes et de déduire de cette assertion plusieurs consequences historiques, nous avons de fortes raisons de croire, qu' une semblable construction appartient à un temps moins reculé cf. »explications à planche X, 3; 4 des monuments antiques« et passim.

[2]) Fere tota media Italiae pars, imprimis inter Vulturn. et Arnum fluvios eius extruendi generis reliquias exhibet. cf. Archäolog. Intelligenzblatt zur allgem. Literaturzeitung 1834 p. 3; 4.

[3]) Micali l. l. II, 156: Il est certain toutefois, que ces mêmes peuples perfectionnèrent (cf. Müller Handbuch der Archäologie der Kunst. 2te Ausg. §. 46. p. 28.) l'art des fortifications, comme le preuvent les restes de murs de l'ancienne Préneste, de Cora — ces murs étaient construits de pierres d'une grosseur démesurée, polies à l'exterieur, taillées en polygones irréguliers de cinq, six ou sept côtés et jointes fortement ensemble sans le secours de la chaux ni du ciment, travail aussi remarquable par la solidité que par les peines, qu 'il dut coûter. Cf. C. O. Müller l. l. §. 166 p. 169 n. 2. De magnitudine illarum lapidum cf. Chr. Müller l. l. I, 399. — Abeken l. l. p. 147. Tournon l. l. II, 98. Nibby l. l. I, 284. 299.

[4]) De hoc genere cf. Nibby Viagg. 293. Petit-Radel l. l. II, 418. Marini tab. X, fig. 2 ad Vitruv. éd. Rom. 1836. tom. IV.

[5]) Petit-Radel l. l. II, 562: pierres carrées et irrégulières — cette construction date du temps des Romains. Nibby l. l. 284: Preneste come città Romana cioè dopo, che venne in potere de'Romani, presenta nel basso della montagna un forte muro a risega di massi quadrati.

bus ipsi et coloni et municipes utebantur[1]). Eaedem generis polygoni Praenestinae reliquiae urbem in complures partes divisam fuisse testantur[2]). Tripartitam eam fuisse ex similitudine aliarum Italiae urbium concludi potest[3]).

De loco, quo forum Praenestinum situm fuerit, viri docti plerumque ita disputaverunt, ut ad radicem montis extra moenia illa polygona fuisse censuerint. Scriptorum locis hoc confirmari nequit, quum omnino nulli hac de re inveniantur. Scilicet argumentum ea in re sola positum est, quod statuae, quas in foro positas fuisse necesse est, illo loco repertae sunt. At vero quum iam decretum decurionum Praen.[4]) demonstrat *non omnes* statuas in foro positas fuisse, tum illud quidem argumentum nihil testatur, nisi *Syllanum forum*, ut hac voce utar, extra antiquum oppidum situm fuisse, quo omnes pristini fori statuas a Sulla delatas fuisse consentaneum est. Atque id ipsum, quod Sulla totum antiqui Praenestis oppidi spatium solo Fortunae templo explevit, demonstrat, forum, quod ex eo tempore extra pristina moenia situm erat, ante Sullam intra moenia illa situm fuisse. Accedit illud quod moenia, quibus Sullanum forum cinctum est, solam Romanorum structuram exhibent, quamquam Sulla quibuscunque locis invenit pristinis moenibus substruendis usus est[5]). Quum vero antiquitus statuae virorum de Praeneste bene meritorum in foro ponerentur[6]), profecto haud verisimile videtur, forum oppidi saepius oppugnati nullo moenium praesidio munitum hostium devastationi temere oblatum fuisse[7]).

Fortunae Praenestinae antiquius templum ad medium fere montem situm erat et magnam gloriam non ex aedium magnitudine et splendore, sed ex oraculi sortibus sibi conciliavit. Sulla magnificentissimis aedificiis hoc templum exornavit vel potius novum templum exstruxit. Erraverunt, qui multi[8]) duo Fortunae templa Praeneste fuisse existi-

1) Tria illa moenium exstr. genera exhibet Dodwell: niews and descriptions of Cyclopian walls London 1834: ruins at Praeneste tab. 111. 112. 113. 114.

2) Westphal l. l. p. 104: Man sieht sehr deutlich die gewaltigen kyklop. Mauern von Kalkstein, welche sich auf beiden Seiten von der untern Stadt den Berg hinauf nach der Zitadelle hinziehen, doch gehen auch einige Züge horizontal am Abhange des Berges fort.

3) Nibby l. l. p. 284: Da quello, che rimane del suo (Praenestis) recinto di poligoni si vede, che come le città piu antiche era divisa almeno in tre parti, ognuna delle quali era separata da un recinto di tal natura; a queste si aggiunga la citadella, che doveva formare la quarta parte nella sommità del monte.

4) Gruter. inscr. 398, 8. Orelli inscr. 3051.

5) De Sullano templo Fortunae cf. quae infra exponentur.

6) Cf. e. g. Liv. XXIII 19. ›Tria signa militibus, qui Casilini in praesidio fuerant‹ ap. Suares. c. XVIII.

7) Nibby l. l. p. 291 inter utrumque forum accurate distinguit atque pristinum intra pristina moenia locat. Cf. p. 303 et Capmartin l. l. p. 307.

8) Nibby l. l. 291 Tutti quelli, che hanno trattato di Preneste, hanno supposto, che due fossero i tempj della Fortuna — d'altronde in nessuno antico scrittore può trovarsi il più piccolo appoggio, per sostevere questi due sacrarj o tempj, non trovandosi menzione, che di uno solo.

maverunt. Nam »sororum« commemorationem nihil ad sustentandam eam sententiam valere nemo hodie negabit; templi monumenta, quae exstant, omnia ad unum Sullanum templum Fortunae referenda esse vix quisquam infitiabitur; scriptorum loci nulli possunt laudari praeter Cic. de divin. II, 41, qui aut nihil comprobat aut hoc unum: fuisse Ciceronis temporibus unum templum, Sullanum, et praeterea »locum religiose septum propter statuam Iovis pueri«, qua de re cf. Caninam: architettura greca II p. 34 [1]). Denique opinionem eorum, qui ante Sullam templum Fortunae omnino nullum extitisse arbitrati sunt, tota Praenestinorum usque ad Sullam historia refellit [2]).

Natura loci, situs urbis eam reddidit vel per se munitissimam, ita ut armis expugnari paene non posset. Strabo [3]) Praeneste, quod certe ipse saepius vidit, multo etiam magis natura munitum fuisse contendit, quam Tibur vicinum. Itaque saepius evenit, ut Praenestini bellum gererent cum hostibus multo validioribus, quum ipsi tuti essent intra moenia urbis. Nam praeterea et arte urbs munitissima reddita est. Moenia altissima et firmissima undique circumjecta occultis cuniculis erant perforata maximam partem ad eruptiones faciendas ex obsessa urbe auxiliique intromittendi causa [4]). Quo factum est, ut qui Romae res novas frustra moliti essent, Praeneste se conferrent. Strabo l. l. dilucide *φεύγουσιν*, inquit, *ἐκεῖσε οἱ νεωτερίσαντες*; itaque in bellis civilibus Praeneste fere semper belli sedes erat illorum Romanorum, qui contra magistratus Romae rite creatos, vel armorum vi constitutos tumultum excitarent [5]). Qua re oppidum bellorum calamitatibus tantopere afflictum est, ut qui aliis urbibus utilitati esset situs natura arteque bene munitus Praenestinis summae extiterit calamitati.

---

1) *Caninae sententiam saepissime deorum statuas sub* divo statutas fuisse comprobat C. F. Hermann: Die Hypäthraltempel des Alterthums. Göttingen 1844 p. 12.

2) Iam Kircher Lat. P. III, 3 judicat: vetustius fortunae templum ipso Sulla fuisse certissimum est. — Male Nibby l. l. p. 288 vetustius templum altiore loco quam Sullanum situm fuisse contendit; id enim comprobatione prorsus caret. Cf. Chr. Müller l. l. I, 387. Unum argumentum, quod Nibby (p. 292) ex loco, quo lithostrota illa reperta sunt, sibi expetivit, infra refelletur.

3) V, 3, 11.

4) Strabo l. l. Cuniculos ex parte adhuc exstare refert Capmartin l. l. p. 307, Nibby l. l. p. 302 alii.

5) cf. Cic. in Catil. I, 3. Vell. Paterc. II, 74. 26. alios.

III.

Le prime antichità latine s'erano convertite
in un bel romanzo istorico.
Micali.

Praeneste Latii oppidum erat antiquissimum. Praenestini priscis Latinis adnumerantur h. e. urbs eorum jam ante Romam conditam fuit [1]). De anno quo Praeneste conditum sit magna est lis inter scriptores historiae Praenestinorum, et maneat incertus [2]). De origine atque de conditore oppidi non idem apud omnes legitur. In diversas partes discedunt graeci et latini scriptores poëtaeque; alteri graecum hominem alteri dei filium aboriginem urbem condidisse ferunt. Apud ipsos Praenestinos [3]), ex librorum Praenestinorum enarratione, fama erat constans, urbem conditam esse a Caeculo, Vulcani filio; cuius rei Micali oblitus [4]) est, quum Graecorum famam ab ipsis Praenestinis libenter receptam esse male contenderit. Fabulam illam tradidit Servius ad Aen. VII, 678 ubi Virgilius, qui eandem famam sequitur, conditorem oppidi commemorat. Servius postquam Caeculum Vulcani filium fuisse scripsit eundem narrat collecta multitudine diu latrocinatum vicinorum oppidorum incolas ad ludos celebrandos invitasse et oratione habita iis, ut oppidum se duce conderent, persuasisse. Quam veterem fabulam Caecilii, qui Praeneste, unde erant oriundi [5]), antiquitus summum locum obtinebant et a Caeculo primam gentis originem ducebant [6]), libenter usurpasse videntur ad gloriam ex conditoris auctoritate augendam; populus vero

---

1) Aurel. Vict. orig. g. R. XVII, 6. Liv. I, 3.

2) Plerique oppidum inter annos 1314 et 1224 a. Chr. n. conditum esse contendunt.

3) Solin. c. IX: Praeneste ut Praenestini sonant libri a Caeculo (conditum est) quem juxta ignes fortuitos invenerunt ut fama est Digitorum sorores. Festus s. v. Praeneste. P. Diac. s. v. Caeculus. De Caeculi fama omnino cf.: scriptorum rerum mythic. latini tres Romae nuper reperti ed. G. H. Bode. Celle 1834 I, 84; Varron: Marius aut de fortuna ap. schol. veron. ad Virg. VII 681 (ap. Virg. interpr. vet. ed. Maj. 1818 p. 55.). — Caeculi cum Caco necessitudinem exponit Grotef. l. l. III, 26. Caeculus est forma recentior, ut vox Proculi recentior, quam Proci. Hartung, Religion der Römer, Erlangen 1836 p. 219.

4) Storia degli antichi popoli italiani. Firenze 1832. I, 240: Le città e le borgate stesse latine, esaltate con vanità municipali, si ritrovarono aver par fondatore un eroe greco o troiano — Così Tuscolo, Preneste, Tivoli, Ardea q. seq.

5) Si nomen respicitur Caecilii primam originem ex Sabinis habuerunt Grotef. l. l. III, 24, tamen nomen non a Caco sive Caeco, sed a Caeculo ductum videtur.

6) Cf. Dacier ad Paul. Diac. l. l.

ipse urbis originem a diis repeti haud invitus tulit, quum praesertim expulsis ex Latio Siculis Latini populi, ut oppidorum gloria augeretur, originem ab Aboriginibus, quam a graecis hominibus duci mallent. Atque mira est similitudo inter hanc de Praeneste primam famam et eam, quae de Romae origine vulgo fertur, ex qua re concludi posse videtur, Praenestinorum fabulam *talem* non antiquitus enarratam, sed in hanc formam redactam esse, quum gens Caeciliorum jam in utraque urbe multum valeret [1]), et oppida Latii originem primordiis Romae similem reddere studerent.

Multo probabilior et fide magis digna est altera Graecorum fama, quae urbem pelasgicae originis esse docet [2]). Haec Praenestis oppidi origo certissime moenium structura comprobatur, ita ut hac de re dubitari paene non possit, quamvis dubium sit, quinam heros urbem condiderit.

Ut in reliquis Latii oppidis, sic Praeneste quoque a principio reges fuerunt. Nam minime fide dignum videtur, quod Grotef. l. l. III, 29 contra regum Latii historiam affert, quum Romanorum reges imprimis propter ipsa eorum nomina non extitisse existimaverit [3]). Neque comprobari neque verisimile reddi potest, toti Latio unum regem imperasse; verum omnino regiam potestatem primo tempore in omnibus fere Latii oppidis valuisse negari non potest. Praenestinos a principio regibus paruisse fama est, quam rem Regia comprobat, quae Praeneste ut Romae erat. In Praenestinorum Regia Martis hasta ipsius dei loco colebatur [4]). Virgilius primum regem et conditorem Praenestis oppidi Caeculum nominat, quem socium Turni contra Aeneam pugnasse refert (Aen. VII, 681). At vero altero loco (VIII 563) jam prior Praenestinorum rex commemoratur Herilus, quem Evander sub ipsis Praenestis moenibus sua se manu interfecisse gloriatur. Et Nibby quidem (l. l. p. 264 quem seq. Chr. Müller l. l. p. 366) suspicatur, *Herilum* urbem condidisse, Caeculum vero eandem ampliorem reddidisse; id quod minime verisimile videtur. Virgilius Aen. VII, 681 sine dubio Aeneae hostes recenset eo consilio, ut primam Latii oppidorum famam occasione oblata recitaret [5]), qua re factum est, ut Caeculum quem conditorem »tota credidit aetas« illo loco commemoraret. Quae causa quum altero loco (VIII, 563) non esset, aut per anachronismum Virgilius Herilum ante Caeculum Praenestinorum regem comme-

---

1) Caecilios ex parte anno 315 a. Chr. Praeneste Romam emigrasse Petrini (s. a. l.) comprobat.

2) Cf. Zenodotus ap Solin. IX et Steph. Byzant. s. v. cf. p. 7 n. 1. Plutarch. l. l. Verum Telegoni fama ad Tusculum spectare videtur, Dion. Hal. IV p. 183. Strabo V, 3, 11 φασὶ δ'ἀμφοτέρας (Τίβουρα καὶ Πραίνεστον) ἑλληνίδας πόλεις. Abeken p. 76. Chr. Müller l. l. I p. 18. De Tibure vicino vide Solin. l. l.

3) Quamvis alter Tarquinius se non ipse appellaverit Priscum neque alter se Superbum, tamen illud quidem non sufficiet, ut eos omnino non fuisse existimemus. Scilicet quamvis ne illi quidem reges fuerint, quos Romanorum fama nobis tradidit, regia potestas viri unius nihilominus extitisse potest. Cf. Lorenz de dictator. lat. et. munic. Grimmae 1841 part. I, p. 5.

4) Hartung l. l. II, 155. — 5) Cf. Aen. VII, 641. q. seq.

morat, qui etiam secundum famam post Caeculum regnavit, aut, id quod melius videtur, Herilus rex Siculorum et Caeculus primus rex Praenestinorum post expulsos ex Latio Siculos erat,[1]) quem fama, quae inde oppidi originem ducere mallet, primum omniuu regem fuisse narrabat.

Omnes Latii urbes regium imperium eodem fere tempore sustulisse videntur liberioremque civitatis formam instituerunt, imprimis Albanorum exemplum sequutae, quum potentissimae oppidorum gentes eo niterentur, ut regia potestas pluribus distribueretur viris. Et Praenestini quidem ante Romanos ejecerunt reges et fortasse jam multum tempus ante illos. Tarquinio Superbo etiamtum regnante Tusculum vicinum liberiorem imperii formam exhibuit[2]), quam non ita multo post illum regem Roma expulsum Praenestinos iam consequutos fuisse, certum exstat testimonium. Nam in concione Latinorum, quae ad Ferentinum habita est, proceres (*πρόβουλοι*) et Praenestinorum et reliquorum Latinorum foedus contra Romanos icerunt, non reges vel regum legati[3]). Atque Praeneste, ut fere omnia Latii oppida, aliquamdiu sub ditionem Albae Longae redactum fuisse videtur, ita ut quamvis non prorsus illi urbi essent subjecta tamen principatum Albanorum inter ceteras Latii urbes agnoscerent[4]). Ad hanc condicionem referendum existimo, quod Aurelius Victor Latinum Silvium Albanorum regem coloniam Praeneste duxisse narrat[5]). Post Albae vero excidium Praeneste et reliquae Latii urbes prorsus liberam civitatis formam exhibuerunt, ita ut omnes in pace essent sui juris, ortis autem bellis fere omnes contra hostes communes unum dictatorem communem ducem aut etiam duos sequerentur[6]). Verum anno fere quinto decimo post Albae excidium Romani per quinquennium cum priscis Latinis bellum gesserunt. Pace facta id tantum consequuti esse videntur, ut Romanorum reges Latinorum priscorum in bello duces essent; nam alioquin foedus aequum fuit[7]). Attamen opes Romanorum in dies crescentes metum Latinorum excitasse videntur, ita ut expulso Tarquinio Superbo haud inviti belli gerendi occasionem bene oblatam esse existimarent.

Itaque concitante Octavio Mamilio contra Romanos conspiraverunt triginta Latii urbes, quarum proceres ad Ferentinum jurejurando ad commune bellum se foedere obstri-

---

1) Hanc sententiam probat Cluver ant. Ital. III, 953. — 2) Lorenz l. l. p. 15.

3) Dionys. Halic. V, p. 326. Hos proceres decuriones populi Praenestini, qui in inscriptionibus passim leguntur, fuisse Petrini (anno 6 p. Ch.) opinatur. — 4) Lorenz l. l. p. 13.

5) Aur. V. orig. g. r. XVII, 6: Igitur regnante Latino Silvio coloniae deductae sunt Praeneste, Tibur, Gabii, Tusculum q. seq. Laudat Aurel. V. ann. pontif. IV, quem librum sequutus esse videtur etiam Liv. I, 3, 7: Ab eo (Latino Silvio) coloniae aliquot deductae h. e. ab eo conditae sunt illae urbes. Cf. Liv. 1, 3, 4. — Petrini, qui omnia quae diversa de Telegono et de Evandro et de Albanae coloniae deductione tradita sunt vera esse commendat, Praeneste (ann. 1079 a. Chr.) extitisse refert un misto di Latini, di Greci e di Frigj! —

6) Dion. Hal. V p. 339 cf. p. 326.

7) Liv. I, 32-38. Dion. H. III p. 186. IV p. 247. III, 191.

ctos propalam confessi sunt anno 256 a. u. c. [1]). In illo Latii oppidorum numero etiam Praeneste fuit. Verum Praenestini — sive Romanos tam propinquos hostes aut regiam ibi renovandam potestatem metuebant, sive *Caia Caecilia* [2]), *uxor Tarquinii Prisci, quae recentiore fama Tanaquil nominatur, Praeneste oriunda fuit* et regibus liberata civitas Caeciliorum gentem etiam Tarquinii affinitate potentem timebat — postquam Romani Fidenas oppugnaverunt et Crustumeria capta est, a Latinis ad Romanos desciverunt. Quod ubi auditum est, bellum gliscens iam per aliquot annos non ultra dilatum est [3]).

Atqui hac in rerum enarratione certe quatenus Praeneste spectat Livio major fides habenda est, quam Dionysio Hal. (V p. 325 q. seq.), a quo ille magnopere differt. Praenestinos a Latinis ad Romanos descivisse Dionysius omnino non commemorat, quae autem apud Livium hac de re enarrantur, ea omnis quae sequetur Praenestinorum historia testatur [4]). Nam quamvis etiam reliquae Latii urbes iam inde ab anno 261 u. c. Romanorum sociae essent [5]), tamen huius atque Praenestinorum cum Romanis foederis diversa fuit ratio, ita ut *Praenestini conjuncti cum Romanis foedere tenerentur cum ceteris Latinis constituto.* Velut in bello, quod Aequi Volscique anno 289 contra Romanos gesserunt, Latini „pudore ac misericordia coacti“ ultro Romanis *sociis* opem tulerunt [6]); itaque ipsis bellum non indictum fuit, quamquam propter hostium praedonum rapacem animum fortasse belli calamitatum non fuerunt expertes: contra eo ipso bello hostes Praenestinum agrum vastaverunt [7]), adversus quos et ipsos, quoniam arctiore cum Romanis foedere tenerentur, bellum gestum est. At quaenam erat huius arctioris foederis ipsa ratio? Praenestini, ut reliqui Latini, Romanis non subjecti erant, sed et ipsorum civitatis libertas isopolitiae quae vocatur condicione nitebatur, quam Spurius Cassius Latinis anno 261 proposuerat. In origine foederis sola ratio perspicitur. Erat *enim* arctius foedus, quod Romani cum Praenestinis primo *contra Latinos hostes* constituerant, quodque deinceps valebat, *quotiens Latini socii*, quorum fides fere semper male suspecta erat, *pugnam contra Romanos restituerent.* Hanc veram illius foederis rationem fuisse, ea re certissime comprobatur,

---

1) Liv. II, 18. Dion. Hal. V, 326. — 2) Plin. h. n. VIII, 74. Fest. s. v. — 3) Liv. II, 19.

4) Veluti cf. Liv. VI, 21, 2; 9. 27, 7. — 5) Liv. II, 33, 3. Dionys. Hal. VI, 411. Cic. pro Balbo 23. — 6) Liv. III, 7, 4.

7) Liv. III, 8, 6. Falso Nibby l. l. p. 265 et Chr. Müller l. l. I, 366 causam devastati ab hostibus Praenestini agri ea in re perspexerunt, quod Praenestini quondam a Latinis ad Romanos descivissent, quorum hostes et ipsi Aequi Volscique tunc fuerant. — Nam anno 289 jam omnes Latii urbes Romanorum sociae erant, igitur eae quoque ad illos desciverant. Ceterum Latini et ipsi cum hostibus in hoc bello manus conseruerunt. Liv. III, 7, 5. Verum bellum gestum est non ad ulciscendam illam injuriam sed contra Romanos eorumque socios Praenestinos. Quod Livius III, 7 Aequos et Volscos communes — etiam ceterorum Latii populorum — hostes appellat, non spectat illud quidem ad huius belli indolem sed ad crebras quas ex Latio illi populi agebant praedas.

quod, quum Romani iusto potentiores extitissent, Praenestini, qui libertati suae inde timerent, magis ad Latinos declinarunt et Romanorum foedus respuerunt; contra Praenestini, ubi *Romanorum timendam societatem repudiarunt*, *illico et ipsi adnumerantur „Latino hosti“*, a quo alias plane distinguuntur [1]). Vera igitur huius foederis ratio erat *externa* atque ad condicionem utriusque populi, Romanorum et Praenestinorum, contra Latinos communes hostes spectabat. Ceterum nihil differebat a foedere Romanorum cum reliquis Latinis constituto; quibus, quum illi sub umbra foederis aequi servitutem imponerent, causa rebellandi contra Romanorum societatem Praenestinis satis magna fuit.

Itaque, quum Latini iam diu male suspecti arma contra Romanos ferre constituissent, et Romani undique premerentur, etiam Praenestinorum defectionis prima fama Romae increbuit ann. 385. Et tantus erat tunc temporis Romanorum metus, ut Praeneste, quod tum vel maxime florebat, ab ipsis descivisse primo credere nollent [2]). Neque vero nimius illorum erat timor; nam auxilia, quae Praenestini miserant Velitris, quae colonia a Romanis defecerat, paene majora fuerunt, quam coloniae ipsius copiae. Nihilominus Praenestini una cum Veliternis devicti sunt, atque Romanorum non tantum erat odium in hostes Veliternos, quantum in ipsos Praenestinos, qui illos adjuvissent [3]). Itaque bellum Praenestinis indictum est senatusconsulto populique iussu, quod quum bellum Praenestinum grave existimatum esse doceat, tum insigne irae atque odii in Praenestinos est documentum [4]). Anno insequenti Praenestini una cum Volscis Satricum coloniam populi Romani vi expugnarunt foedeque vastaverunt; verum Volsci, quamvis exercitum Romanorum numero superarent, a sene Camillo devicti sunt. Praenestinorum in caede Volscorum nulla fit mentio [5]).

At vero Livii quam modo commemoravimus belli enarrationi fides haberi nullo modo potest. Primum minime verisimile videtur, Romanos victores discessisse ex pugna contra Praenestinos et Veliternos. Id iam Chr. Müller l. l. I, 367 repudiavit et Livii ipsius, praeconis victoriarum Romanorum, submissa verba suspicionem excitant [6]) et belli

---

1) Liv. VI, 28, 7. VIII, 14, 9. Ob id ipsum non probandum est, quod Niebuhr l. l. II, 651. Praeneste (ut Tibur p. 652) Aequorum oppidum factum esse existimavit. Oppidi condicione, quae supra descripta est, argumenta Niebuhrii refutantur; et quod Latinum oppidum una cum Aequis Romanis saepius bellum intulit, minime sufficiet, ut illud cum horum civitate prorsus coaluisse existimandum sit.

2) Liv. VI, 21, 9. — Italiam ante Romanorum imperium ingenti hominum numero habitatam fuisse optime docuit Micali in libro qui inscr. Italia avanti q. seq. Quid, quod Gabii, oppidum loco haud opportuno situm, impetum Tarquinii totius exercitus sustinuerunt eodem tempore, quo Romani CXXX mill. hom. contra hostes ducere putuerunt, et solus Attus Claudius (sec. Paterculum) quinque millia clientum Regillo Romam secum duxit, alia. Cf. Frontin. strateg. II, 3, 21.

3) Liv. VI, 22, 3. — 4) Liv. VI, 21, 3-5. cf. Drak. ad 21, 5. — 5) Liv. VI, 24, 11 (Eutrop. II, 1).

6) VI, 22, 2: „secundo proelio pugnatum est. Oppidi obpugnatione tribuni abstinuerunt, quia et anceps erat nec in perniciem coloniae pugnandum censebant“; quam eandem coloniam

indictio quae deinceps sequitur iram atque odium victi superbique populi indicat. Deinde quamvis Livius enarrasset, cum Praenestinis pugnatum iisque bellum indictum esse (VI, 22, 2; 4); quamvis Praenestini, contra quos summum erat Romanorum odium, insequenti anno una cum Volscis Satricum expugnassent et ob eandem rem exercitus a sene Camillo eductus esset, quem „ad Satricum *expugnatores coloniae* fidentes militum numero opperiebantur“ (22, 8) — tamen (VI, 27, 7) tribuni queruntur Praenestinis *jam intentari arma civium magis quam hostium odio* et (27, 9) sermo est de novis legionibus, quae tunc demum revera scribuntur. Neque ne hoc quidem quidquam juvat, si una cum Volscis Praenestinos illa pugna a Camillo devictos esse statuamus, quia minime verisimile sit, Volscos, quorum exercitus Romanos numero superaret, a Praenestinis, qui et ipsi expugnatores Satrici fuissent, non fuisse adjutos. Denique Livius VI, 27, 7 tribunos querentes facit: „Passim iam sine ullo discrimine bella (a patribus) quaeri: ab Antio Satricum, ab Satrico Velitras, inde Tusculum legiones ductas“, quamvis bellum illud ex senatus consulto *populique jussu* indictum esse monuerit (VI, 22, 4).

Ego hanc fere rerum gestarum seriem fuisse existimo: Defectionem Praenestinorum sequuta est *expugnatio Satrici coloniae*; *Praenestini una cum Volscis* a sene Camillo devicti sunt, quamvis clades illorum non magna fuerit;

Praenestini Veliternis auxilia miserunt et una cum illis ad Velitras *Romanos devincunt*, certe *ancipiti proelio pugnatum est;*

Praenestinos Romam ipsam adgressuros esse fama percrebuit; ipsis arma intentantur a Romanis et novarum legionum delectus habetur.

Huius alterius belli causa nulla inveniri potest, si Livium auctorem sequimur; non enim est devicti populi consilium, sed eius qui victoriam reportaverit, imprimis si summa Praenestinorum fiducia spectatur, quam toto hoc bello exhibuerunt. Neque enim iam eo tempore, quo ex oppido Romam profecti sunt, nuntium acceperant dissidii Romae inter patres ac tribunos exorti [1]). Verum Livius varios auctores sequutus esse videtur, quorum alter pugnam contra Veliternos et Praenestinos, alter bellum contra Volscos et Praenestinos enarravit et quorum uterque in principio bellum Praenestinis a Romanis indictum esse exhibuit. Atque apud Livium ipsum certum et eximium huius emendationis vestigium indagatur [2]).

---

hostibus iam prorsus devictis Cincinnatus postea vi expugnavit VI, 29, 6. Cf. de ira Roman. in Velit. VI, 21, 3.

1) Id quod falso contendit Nibby l. l. p. 266. Cf. Liv. VI, 27, 11; 28, 1.

2) Liv. VI, 27, 7 tribunos querentes facit: passim iam sine ullo discrimine bella quaeri: Ab Antio Satricum, ab Satrico Velitras, inde Tusculum legiones ductae. Igitur secundum hunc locum pugna ad Satricum (VI, 22, 8) commissa est ante pugnam ad Velitras VI, 22, 2. Plut. Camill. 37 testatur, primum Praenestinos una cum Volscis a sene Camillo devictos esse, et deinde, quum pugnam ad Velitras commissam omnino non commemoraverit, cladem colonorum

Erat illo tempore florentissima Praenestis condicio, ita ut inter Latii oppida primum obtineret locum. Octo oppida vicina sub Praenestinorum ditione erant. Praeneste ipsum natura arteque munitissimum tutissimum et bellandi et praedandi praebebat receptaculum. Quum Praenestini primi a Latinis ad Romanos descivissent, eorum potestatem per Romanos ipsos auctam fuisse consentaneum est. Animus Praenestinorum admodum bellicosus erat, tamen ad tumultus excitandos, ad praedationem exercendam, ad bellum celeriter finiendum aptiores videbantur, quam qui pugnam gravissimam contra Romanorum exercitus multis et continuis bellis probatos sustinerent.

Atque victoria ut videntur nuper adepta freti Praenestini soli pugnam contra Romanos inierunt. Et primo quidem in agro Gabino [1]) consederunt; deinde dissidiis Romae Patres inter et tribunos plebis exortis confidentes raptim pervastatis protinus agris usque ad portam Collinam signa tulerunt. Tanta erat trepidatio urbis etiamtum seditionibus laborantis, ut dictator crearetur Titus Quinctius Cincinnatus, qui nuncupatis in Capitolio votis Praenestinos petebat [2]). Quod ubi audierunt Praenestini, ad Alliam [3]) quidem recesserunt, sed fatalem se urbi Romanae locum cepisse iactantes. At vero primo Romanorum impetu fusi fugatique intra moenia Praenestis se receperunt. Dictator Romanus primo octo oppida, quae sub ditione Praenestinorum erant, haud magno certamine cepit, deinde Velitras, quae colonia Romanorum iam inde a defectione Praenestinorum socia fuerat in hoc certamine, expugnavit, denique Praeneste ipsum per deditionem recepit anno 374 sec. fast; 375 ex computat. Caton. [4]). Signum Iovis imperatoris, quod Praeneste fuit, Romam devectum in capitolio inter cellam Iovis ac Minervae dedicatum est [5]). Praenestini

---

et Praenestinorum a Romanis acceptam *etiam ab auctoribus Romanae historiae* admodum parvam fuisse descriptam. Verum ob id ipsum, quod Plutarchus illam pugnam praetermisit, loco laudato uti non possumus, quo series rerum gestarum accurate emendetur, praesertim quum etiam de Satrici expugnatione a Plutarcho et Livio varia ac diversa referantur. Niebuhr l. l. II p. 658 secundum Plutarch. l. l. Praenestinos una cum Volscis contra Camillum pugnasse comprobat; ex pugna aequo Marte discessum esse haestitans concedit, Romanos victores exstitisse plane repudiat.

1) Sic enim legendum est, non in agro Sabino ap. Liv. VI, 27, 10. Cf. Drak. ad. l. l.

2) Liv. VI, 28. Florus I, 2, 7.

3) Hac quoque in re victorum fiducia perspicitur; nam quum ad Alliam recessissent, agri Praenestini hostium ab impetu minime tuti erant. Tantum abfuit ut Romanos Praeneste adgressuros esse existimarent.

4) Liv. VI, 29. Festus s. v. trientem tertium. Eutrop. II, 2.

5) De hoc Iovis Praenestini signo alio loco disseremus; virorum doctorum diversas sententias diligenter collegit Drak. ad Liv. VI, 29. Ex aliis quoque oppidis expugnatis signa devecta esse narrat Liv. IX, 45. XXX, 39. Cf. Varro ap. Lact. d. F. R. I, 6; Fest. s. v. Nixi Dii. Municipia expugnata sacra municipalia (cf. Festus s. v.) amisisse docet Ambrosch. l. l. p. 181. Hoc loco alia res est. Iupiter Praen., custos oppidi, quod Romae similem et libertatem et

ipsi in bellis quae sequuntur libera utuntur civitatis condicione, tamen vestigia arctioris illius cum Romanis foederis prorsus nulla inde ab eo tempore apparent. Octo oppida, quae sub ditione Praenestinorum erant, Romanorum imperio adjuncta sunt [1]). Verisimillimum est castella fuisse et minora oppida, quo in numero fuisse videntur Capranica, Cavi Gallicanum, Longianum [2]). Livius illa poena Praenestinos afflictos esse non commemorat, quamvis post aliud bellum eos agro mulctatos esse adnotaverit [3]). Verum Eutropium vera enarrasse quum per se consentaneum est, tum Romanorum ratione constituendi de hostibus devictis commendatur.

Praenestini inde ab hoc tempore semper una cum reliquis Latii oppidis contra Romanam societatem aut potius contra aequi foederis umbram rebellarunt. Id quod iam extremo anno 375 factum est, ubi concitatis Latinis liberiorem civitatis condicionem adipisci conati sunt. Romanorum summa exarsit ira: exercitum adversus Praenestinos ducere et illis devictis plurimos trucidare [4]). Livius a scriptoribus, quos sequeretur, destitutus tantum a Praenestinis tumultuatum esse tradit; et ex consentienti codd. lectione (VI, 30, 9) etiam coloni Praenestinis adscripta sunt, quum post tot bella tantasque calamitates ipsi penuriam hominum questi essent, id quod merito a viris doctis in dubium vocatum est [5]). *Certum est colonos tunc temporis revera non deductos esse.*

Verumtamen Praenestini non idcirco ab incepto bello una clade accepta destitisse videntur, quod exhaustis civitatis viribus condicione qua utebantur contenti essent, sed rei contra Romanos bene gerendae tempus etiamtum non adesse rati pacem restituerunt inviti. Nam amissae pristinae potestatis semper memores erant, atque ubi victoriae adipiscendae spes oblata fuit, eam recuperare conati sunt. Verum nunquam cum reliquis Latinis ita coaluerunt, ut, ubi Livius Latinos *commemoret*, Praenestini quoque subintelligantur [6]), sed ut Tiburtes, quibuscum ab illo tempore arcte coniuncti erant, secretae civitatis speciem referebant. Idem erat utriusque civitatis a Romanis metus; itaque ubi Tiburtes anno 394 Hernicorum partibus accedentes cum Gallis qui advenerant conjuncti contra Romanorum

---

potentiam prae se ferebat, maiori Iovi Capitolino deditionis instar dedicatus est. De tabula laude Cincinnati inscripta, quam variam Liv. et Festus exhibet, disseruit Drak. ad Liv. l. l. Fiedler (Römische Geschichte. Leipzig 1832 p. 5) laudat versus quosdam saturnios, quibus Cincinnati res in illo bello gestae magna laude celebrantur; at vero Festus inscriptam tabulam non vidit; Livius ut alias summam tantum inscriptionis affert (»his ferme incisa litteris«), ipsa inscriptio asperior fuisse videtur.

1) Eutrop. II, 2.

2) Etiam Pedanos a principio Praenestinis subjectos fuisse suspicatur Abeken l. l. p. 76; 77 et Chr. Müller l. l. I, 400 etiam Vitelliam ac Trebiam sub ditione Praen. fuisse contendit. At vero Livius II, 39 Vitelliam ac Trebiam etiamtum Praenestinis non subjectas, Pedanos iam tum liberos exhibet.

3) VIII, 14, 9. — 4) Diod. Sic. XV, 47. — 5) Cf. Drakenb. ad Liv. l. l. — 6) Vide not. 4 p. 23.

imperium bellum renovarunt [1]). Praenestini iam tunc idem fecisse videntur. Romani e primo proelio superiores discesserunt, sed insequenti anno bellum instauratum est, quod quum multa alia oppida susciperent, tum Praenestini quoque exercitum contra Romanos eduxerunt tempus pristinae potestatis recuperandae advenisse rati [2]). Et Livius quidem Gallos prorsus victos esse narrat (VII, 15, 7) et Hernicos subactos (15, 9) et cum Tiburtibus ad deditionem pugnatum esse contendit (VII, 9, 1). Sed hoc ex parte certe rejiciendum est, nam et Hernici usque ad annum 448 bellum contra Romanos saepius renovarunt et Tiburtes in communi Latinorum rebellione ann. 416 libera civitate certissime usi sunt [3]). Atque Praenestinorum in illa pugna melior erat fortuna; nam bellum aequo ut videtur Marte cum Romanis gestum, aliquamdiu compositum est [4]).

Iam anno 416 tempus aderat, quo decernendum fuit, utrum Romani totius Latii imperium adipiscerentur, nec ne. A viribus Romanorum iam valde auctis omnes Latini sibi timebant, neque solum qui usque ad illud tempus haud sua sponte Romanorum socii fuerant, sed etiam liberae civitates, quae magnae pristinae potestatis a Romanis ereptae oblivisci non potuerunt; commune omnium periculum omnes contra hostes communes conjunxit. Et Latini quidem post proelium male pugnatum a Romanis in deditionem accepti sunt; sed Tiburs, Praenestinus, Veliternusque populus cum auxiliis Lanuvinorum et Antiatium Pedanos tuebantur, qui et ipsi rebellaverant. Proelio a Romanis victi sunt, quanquam clades admodum parva fuisse videtur, quia Pedi expugnatio praetermissa est. Insequenti anno Latinorum, qui agro mulctati erant, iam ea erat condicio, ut neque bellum neque pacem pati possent, Praenestini autem ac Tiburtes non fractis animis Pedanos adiuverunt. Verum Furius Camillus Tiburtes devicit, cui proelio etiam Praenestinos interfuisse consentaneum est, quum alia pugna post Tiburtium cladem non commemoretur et illos quoque devictos esse opus sit. Notum est Latinos fere omnes tunc temporis liberam civitatis formam amisisse. Praenestini ut Tiburtes agro tantum mulctati sunt [5]).

Quaeritur, quamnam condicionem ab eo tempore Praenestinorum civitas exhibuerit et quaenam fuerit ratio foederis, quod inde exstitit Romanos inter et Praenestinos. Atque hac de re caute disserendum est. Livius nihil commemorat, nisi quod eos agro

---

1) Liv. VII, 11, 1; 2.

2) Liv. VII, 12, 8 tantum: ›Gallos mox Praeneste venisse atque inde circa Pedum consedisse‹ narrat. Sed ex libr. VIII, 14, 9 apparet Praenestinos arma cum Gallis Tiburtibusque consociasse. — 3) Cf. Niebuhr l. l. III, 96.

4) Diodor XVI, 45: κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν Ῥωμαῖοι πρὸς μὲν Πραινεστίνους ἀνοχάς, πρὸς δὲ Σαμνίτας συνθήκας ἐποιήσαντο. De Samnitium cum Romanis foedere cf. Liv. VIII, 19, 4. Quum etiam secundum Livium VIII, 14, 9 Praenestini una cum Gallis contra Romanos pugnassent, apparet Praenestinos cum Latinis, qui hoc bello Romanorum socii erant VIII, 12, 7; 8 in unam civitatem non coaluisse; id quod iam contendimus.

5) Liv. VIII, 8-14 cf. 14, 9.

mulctatos esse scribit. Hanc ipsam ob causam consentaneum videtur, pristinam condicionem in reliquis rebus omnino non mutatam fuisse, imprimis quum Livius distincte de singulis oppidis relatum decretumque esse monuerit [1]) et Romanorum agendi ratio mitis quodammodo in complures civitates [2]) et satis cauta fuerit. Pristina condicio, qua Praenestinorum civitas nitebatur, erat ius Latii. Hoc, quod iam antiquitus foederis aequi umbram tantum prae se ferebat, postquam fracta est Latinorum vis ann. 416, valde deminutum est, ita ut omnibus Latinorum oppidis in humilem atque pauperem condicionem redactis [3]) Romanorum opes crescerent. Etiam Praenestinorum condicio inde ab hoc tempore satis iniqua fuit, attamen oppidum municipium Romanorum iam tunc non factum est, id quod a nonnullis male contenditur. Verum Praenestini Romanorum erant *socii foedere iuncti* [4]), qui vocantur. Igitur sui permanserunt iuris, suis utebantur legibus, quamquam Romanorum imperio quodammodo subiecti erant et imprimis quae iuberent Romani auxilia mittenda erant. Iam tunc Praeneste municipium fuisse non potest, quum id rebus usque ad annum 664 gestis refellatur. Hoc loco illud unum monere volo Praenestinos in altero Samnitium bello sub praefecto *cohortis socialis* inter *socios* Romanorum militasse [5]); municipiorum autem milites iure legionis utebantur [6]).

Nomine illius foederis Praenestini Romanorum imperio fere prorsus subiecti erant et taedio huius imperii saepius rebellarunt. Et iam paucis annis post quam a Romanis una cum Tiburtibus devicti sunt, eos pugnam contra Romanos renovasse necesse est, quamvis tempus, quo facta est rebellio, apud scriptores non accurate designetur. Praenestinos enim contra Romanos rebellasse concludi potest ex Plin. h. n. XXXI, 1, 6 [7]). Q. ille Anicius Praenestinus hostis Romanorum fuisse non poterat, nisi defectione Praenestis oppidi a Romanis facta. Anicius aedilis Romae creatus est anno 443 et secundum Plinium Praenestini paucis annis ante a Romanis defecisse putandi sunt. Et anno 433 quidem Romani ad Lautulas male dimicaverunt [8]), tamen haec clades certe minor fuit, quam quae demissum Praenestinorum animum, qui toties frustra rebellaverant, ad defectionem perpulerit;

---

[1]) VIII, 14, 2. — [2]) Liv. VIII, 14, 3.

[3]) Fortasse una excepta Aricinorum civitate. Grotef. l. l. IV, 48.

[4]) Cf. de illis praeter alios Micali Italia q. seq. III, 83.

[5]) Aurel. Vict. de vir. ill. XXXI, 5. Plin. h. n. XVII, 11. Liv. IX, 16, 16 postquam de vi, quam Papirius Cursor in cives exercuit, exemplum praebuit, pergit: et vis erat in viro imperii ingens pariter in socios civesque. Praenestinus praetor per timorem segnius ex subsidiis suos duxerat in primam aciem q. seq.

[6]) Spanhem. Orb. Rom. I, 9.

[7]) ›Cn. Flavius Annii filius (de vero nomine vid. Drakenb. ad. Liv. IX, 46, 1) aedilis curulis creabatur cum Q. Anicio Praenestino, qui paucis ante annis hostis fuisset‹ q. seq. Cf. Liv. IX, 46.

[8]) Liv. IX, 23, 4: ancipiti proelio pugnatum est — invenio apud quosdam adversam eam pugnam Romanis fuisse. Quam rem Diod. Sic. XIX, 711 testatur et apud Liv. ipsum sermones Samnitium comprobant IX, 25, 5.

immo hoc factum esse videtur magno illo bello, quod inde ab anno 440 vel 441 contra Romanos gestum est. Hostes extiterunt Etrusci, Samnites, Umbri, [1]) quibus quum Hernici quoque, quorum in fines Praeneste oppidum recessit, sese adiunxissent, etiam Praenestinos eius rebellionis socios fuisse paene certum est [2]).

Sed infelix fuit huius rebellionis exitus et de Praenestinis gravissima supplicia sumpta esse videntur, ita ut illi magis etiam infesti Romanis renovandae rebellionis tempus opportunum exspectarent. Neque vero hoc Romanos fugit, quibus illi male suspecti erant. Et tandem exoptatum tempus advenisse visum est. Nam Pyrrhi adventu Romani undique ita premebantur, ut omnes fere socii subacti et pristini hostes bellum contra eos renovarent. Verum Romani in rebus adversis summam gloriam adepti praesidiis tuebantur socios, qui in fide manserant, et eorum, qui male suspecti essent, principes Romam duxerunt, quos fidei pignora haberent. Inter hos etiam Praenestinorum proceres et summi magistratus fuerunt, quos in publico urbis aerario Romani incluserunt. Nihilominus Praenestini, qui iam antea oraculi ambagibus ad rebellionem permoti erant, a Romanis desciverunt, quo nuntio allato Praenestinorum principes Romae capite deminuti sunt [3]). Pyrrhus enim anno 474 Praeneste venit, arcem oppidi, quae armis expugnari paene non posset, ex libera ut videtur populi voluntate obtinuit atque inde septem millia passuum Romam progressus usque ad milliarium ab urbe XVIII pervenit [4]). Sed a Romanis devictus est, atque oppida, quae rebellaverant, denuo subacta peiore etiam condicione esse coeperunt.

Iam inde ab hoc tempore Praenestini ne conatum quidem fecerunt pristinae libertatis ac potentiae recuperandae, quum Romanorum imperium non posset subverti. Attamen etiam tunc suae leges iis redditae sunt et Romanorum socii foedere iuncti permanserunt, id quod res quae narrabuntur certissime testantur. Quare hoc unum commemoraverim, anno 517 Praenestinos peregrinos etiamtunc habitos esse, cuius rei certum exstat testimo-

---

[1]) Liv. IX, 29. 38. 41.

[2]) Non video causam cur hac in re haesitet Niebuhr l. l. III p. 260, qui non comparasse videtur Plin. l. l. cum Liv. IX, 42, 11 et 46, 1.

[3]) Zonaras postquam enarravit Romanos sociis civitatibus praesidia imposuisse, ne deficerent et quas novis rebus studere animadvertissent, earum principes ab illis mulctatos esse VIII, 3 pergit: *καί τινες τῶν Πραινεστινῶν εἰς τὴν Ῥώμην ἀχθέντες περὶ δείλην ὀψίαν εἰς τοὺς θησαυροὺς ἐπὶ φυλακῇ ἐνεβλήθησαν. Καί τις αὐτοῖς ἐκ τούτου χρησμὸς ἐκπεπλήρωτο· ἐχρήθη γὰρ αὐτοῖς ποτὲ ὅτι τοὺς τῶν Ῥωμαίων καθέξουσι θησαυρούς· καὶ ὁ μὲν χρησμὸς εἰς τοῦτο ἀπέβη, ἐκεῖνοι δὲ καὶ ἀπώλοντο.* — Alia sortium Praen. oracula vide ap. Orell. insc. 2485. Cf. Ael. Lampr. Alex. Sev. 4.

[4]) Eutrop. II, 7. Florus I, 18. Armis vero Praeneste non expugnatum est, ut Chr. Müller l. l. II, 370 et Westphal l. l. p. 103 (»das Volk der Äquer und also auch Präneste — als römische Stadt eroberte sie Pyrrhos« !) falso opinantur. Illud si factum esset causa non erat, cur Praenestinorum principes in aerario inclusi necarentur. —

nium apud Valer. Max. I, 3 [1]). Quid quod ab illo tempore Praenestini item in Romanorum ordinibus sese exhibent *socios*. Atque insignis eorum mentio fit in bello punico secundo. Nam quingenti septuaginta Praenestini non confecto ad diem delectu, quem Fabius Maximus dictator ex sociis quoque scripserat, [2]) serius Praeneste profecti ad famam iam commissae pugnae Cannensis una cum Perusina cohorte Casilini in castello ad Vulturnum sito per duos fere annos vehementissimam Hannibalis expugnationem sustinuerunt anno 538. Armis expugnari non poterant, a proditione incolis trucidatis ipsi sibi caverant, famem quoque sustinuerunt, quamvis eo ventum esset, ut nuculis fusis a romanis castris et Vulturno ad castellum missis aliisque rebus vilibus vitam traherent. Postremum fide data et pretium quo redimerentur pacti Casilinum Hannibali tradiderunt et incolumes cum Manicio praetore h. e. praefecto cohortis socialis, Praeneste redierunt [3]). Sera Casilini expugnatio primum Hannibalis in bello cum Romanis erat calamitatum initium. Civitatem Romanam, quamvis oblata esset, Praenestini illi reiecerunt [4]), sive omnino civitatem urbis infestae respuerunt, sive non omnibus Praenestinis eam oblatam esse aegre tulerunt, unde certissime intelligitur Praenestinos etiamtunc non municipes, sed socios Romanorum foedere iunctos fuisse.

In enarranda Casilini expugnationis historia complures et veterum scriptorum et virorum doctorum errores perspiciuntur. Silius Italicus (d. b. P. III, 8) primus Praenestinos illos etiam in Cannensi proelio contra Hannibalem pugnantes facit, haud ignarus Casilini defensionis, nam „casilina limina sibi reservasse“ Hannibalem canit [5]). Deinde quod ius civitatis illis Praenestinis a Romanis oblatum est, *quamvis idem abnuerint*, Suaresius c. XX inde temere colligit, post bellum punicum secundum a Romanis Praeneste coloniam deductam esse. *Quid quod Cecconi* [6]) *superbiam* Praenestinorum, quae passim carpitur, ex amore civium et patriae legum institutorumque [7]) deducit et Micali [8]) eandem

---

[1]) ›Lutatius — a senatu prohibitus est sortes Fortunae Praenestinae adire: auspiciis e n i m p a t r i i s n o n a l i e n i g e n i s rempublicam administrari oportere iudicabant‹. Cf. Chr. Müller l. l. I p. 384. Ambrosch l. l. p. 184; 185. — [2]) Liv. XXII, 11.

[3]) Liv. XXIII, 17-19. Festus et P. Diac. s. v. nuculae. Vell. Paterc. II, 51. Valer. Max. VII, 6, 3. Strabo V, 165, alii. De numero Praenestinorum non eadem est sententia omnium scriptorum. Livius narrat DLXX fuisse, Strabo DXL; Valer. Max., qui CCC fuisse tradit, de iis qui incolumes Praeneste redierunt cogitasse videtur cf. Liv. XXIII, 19. Manicium, qui praetor appellatur et antea scriba fuerat, hoc quoque loco non esse magistratum Praenestinum sed praefectum cohortis socialis, non est cur comprobetur. Cf. Drakenb. ad Liv. IX, 16, 16.

[4]) Liv. XXIII, 20, 1.

[5]) Hunc errorem complures veluti Petrini sub ann. 217 a. Chr. temere divulgaverunt.

[6]) Storia di Palaestr. I, 3 p. 22. (sec. Ritschl rhein. Mus. I p. 319).

[7]) Nam d u a r u m urbium iure civitatis uti vetitum erat cf. Liv. l. l. (civitatem non m u t a v e r u n t), Cic. pro Caecin. 34 Corn. Nep. Attic. 3; id quod lege Iulia etiam tunc sancitum est. Cic. pro Balbo VIII. — [8]) Italia q. s. IV, 307, n. 2.

Praenestinorum superbiam a Romanis certe perspectam esse arbitratur in reiecto iure civitatis, quod non universae civitati sed *defensoribus tantum Casilini* oblatum fuit, quamvis Micali ipse alio loco [1]) Hernicos suas leges Romanorum civitati praetulisse narret et de Aequorum simili agendi ratione Liv. IX, 45 et XXIII, 20 laudaverit.

Praenestini per totum bellum punicum secundum fidi permanserunt Romanorum socii, et anno 547 M. Livius Salinator et Claudius Nero coss. eodem die Praeneste convenerunt, unde triumphantes Romam redirent [2]). Verum post confectum hoc bellum Praenestis nomen terrori fuit Romanae civitati; nam servitia coniurasse et Praeneste firmam bellorum sedem occupatura nunciatum est anno 556. Sed de quingentis fere hominibus supplicium sumptum et pax facile restituta est [3]).

Eandem sociorum Romani imperii condicionem Praenestini anno 579 etiamtum exhibuerunt secundum certum Livii testimonium, qui illos eo ipso nomine appellat et simul sociorum condicionem non iure quodam sed fere arbitrio consulum et senatus id temporis nisam esse testatur [4]). Praenestini quamvis socii essent foedere iuncti iniuriae irati superbique consulis L. Postumii nihil opponere ausi sunt, nisi silentium nimis aut modestum aut timidum et Romanorum superbiam in socios omnis Praenestinorum civitas eandem tulit, quam olim solus praefectus cohortis socialis in Papirio Cursore cognoverat [5]).

Iam eo ventum est, ut Livii loco oblato omnium illorum sententiam refellamus, qui iam multis annis ante illud tempus Praeneste *coloniam* Romanorum factum esse opinati sunt. Livius enim tradit [6]) P. Furium Philum anno 581 Praeneste exulatum abiisse. Erat antiquitus inter Praenestinos et Romanos pactione iuramentoque constitutum, ut omnes rei, qui iudicium exspectare nollent, Praeneste in exilium abire possent [7]). Atque exilii ea erat ratio, ut reus *civitatem mutaret et eo quod civis alius* civitatis factus esset poena liberaretur [8]). Coloni autem cives erant Romani atque in coloniam nemo ita exulatum abire potuit, ut iustum exilium putaretur.

Praenestini tam saepe etiam tempore vel maxime opportuno contra Romanorum imperium frustra rebellaverant, ut ne conatum quidem facerent recuperandae pristinae libertatis, quamvis Romani undique premerentur et imperii exitium adesse videretur. Quid quod in magno illo bello sociali pariter atque reliqui Latini tranquilli permanserunt, quamquam pristinorum bellorum socii fere omnes contra Romanos rebellarunt. Notum est socios primo tam feliciter pugnasse, ut Romani, ne illi quoque, qui in fide permansissent,

---

1) Ibidem IV, 128, n. 1. — Etiam Cicero l. l. narrat Neapolim et Heracleam haesitasse, utrum ius romanae civitatis acciperent nec ne.

2) Liv. XXVIII, 9. — 3) Liv. XXXII, 26. — 4) Liv. XLII, 1.

5) Alias in socios iniurias vide ap. Liv. l. l. Aul. Gell. n. a. X, 3. cf. p. 24 not. 5.

6) XLIII, 2. — 7) Polyb. VI, 14, 8.

8) Cf. quae egregie hac de re exposuit Niebuhr l. l. II p. 72.

ab ipsis desciscerent, Latinis lege Iulia anno 664 ius civium tribuerent, quod quum omnino de universo Latio constet, etiam Praenestinis factum esse certum exstat testimonium apud Appianum b. c. I, 65, [1]) quo loco pariter atque tota quam enarravimus historia illorum opinio refellitur, qui Praenestinos iam ante annum 664 aut colonos aut municipes exstitisse falso existimaverunt. Verum Praenestinos *municipes* factos neque alio modo ius civium adeptos esse certissime testatur Aul. Gell. n. a. XVI, 5, 5 et Florus III, 21, 7, qua de re cf. quae infra leguntur.

Tempus aderat, quo propter summum inter Marium et Sullam odium et quia uterque bello civili [2]) de principatu decernendum esse existimaret, senatus Romanus, qui tranquillam extrinsecus condicionem optaret, omnibus sociis, qui etiamtum bellum cum Romanis gesserunt, si arma ponerent, civitatem pollicitus est. Notum est eam a solis Samnitibus, qui postea in bello civili Marii partes sequuti sunt, reiectam esse propter odium Romani nominis. Praenestini quibus ius civium lege Iulia concessum erat et ipsi a principio illius belli Marii partes sequuti Samnitium socii exstiterunt. At vero Marius iunior [3]) ad Sacriportum a Sulla plane devictus est; Praeneste, quod vicinum et munitissimum esset, elegit, quo se reciperet, et effusa fuga Mariani Praeneste petebant. Sulla oppidum, quod armis expugnare desperavit, vallo fossaque cinxit et quia Romam oportuit adversus hostes exercitum ipse duceret anno 672 Lucretium Ofellam ducem constituit, qui fame expugnaret Marium [4]). Carbo, qui obsessos iam fame laborare cognoverat, Marcium Censorinum misit cum VIII legionibus, qui Marium liberarent — Pompeius, Sullanus dux, eos reiecit. Alterum exercitum, quem Lucani, Samnites, Campani, Marii socii miserunt, Sulla ipse Praeneste exclusit [5]), occupatis faucibus, per quas solus transitus patebat. Tum Marius ipse castellum inter Praeneste et hostium vallum exstruxit, sed postquam frustra inde erumpere

---

1) Postquam Cinnam servos proposita spe libertatis convocasse Appianus narravit, pergit l. l.: Οὐδενὸς δ' αὐτῷ προσιόντος ἐξέδραμεν ἐς τὰς ἀγχοῦ πόλεις, τὰς οὐ πρὸ πολλοῦ πολιτίδας Ῥωμαίων γενομένας Τίβυρτόν τε καὶ Πραινεστὸν καὶ ὅσαι μέχρι Νώλης.

2) Bellum civile Sullanum a Sisenna descriptum fuisse demonstrat Sallust. B. J. 100 et Vell. Pat. II, 9; cf. Cic. Brut. 64.

3) Omnes scriptores hunc Marium C. Marii septies consulis filium fuisse testantur, praeter Appianum l. l. I, 87 qui eum τὸν ἀδελφιδοῦς Μαρίου τοῦ περιφανοῦς nominat. Itaque Putean. ad Vell. Pat. II, 25, Freinsh. ad epit. Liv. LXXXVI, 1. Pigh. ann. I, 3 p. 238 s. v. Praetores. eum filium adoptivum C. Marii illustris fuisse arbitrantur. — At vero recte contra disputavit Perizon. animadv. hist. c. 3 p. 98. cf. Duker. ad Liv. l. l. — Scilicet Appianus ipse l. l. I, 62 eum Marii illustris filium nominat et Plut. Caes. 1 disserte eum filium fuisse ex Julia amita Caesaris tradit.

4) Appian. b. c. I, 87-88. Plut. Sulla XXVIII. Orosius V, 21. Liv. epit. LXXXVIII. Cf. Eutrop. V, 8. Vell. Paterc. II, 26, 1. Dio Cass. fragm. peir. p. 654.

5) Cf. praeter l. l. Vell. Pat. II, 27. Appian l. l. 90-92.

tentavit in oppidum milites reduxit. Tertium Carbonis exercitum et ipsum Sullani repulerunt. Itaque Damasippus cum Marcio et Carinate Romam ipsam aggressi sunt, ut Marius obsidione eximeretur. Sed male contra Sullam ad portam Collinam pugnarunt: Damasippus illico captus, Marcius et Carinas e fuga retracti sunt, quorum capita Sulla victor Lucretio misit, quae circa Praenestis moenia circumferrentur [1]). Quae quum Praenestini conspexissent posita spe oppidum Lucretio tradiderunt. Marius ipse ubi per cuniculum subterraneum erumpere frustra conatus est mortem obiit [2]). Quamvis Praeneste oppidum per deditionem captum esset, tamen omnes Marianae factionis senatores aut illico aut post adventum Sullae occisi sunt. Sulla ipse, qui edicto se Felicem appellavit [3]), omnes quos Praeneste invenit viros inermes in campum prodire iussit et paucis selectis, quos utiles sibi fore existimaret, reliquos trifariam divisit: Romanis veniam dedit, Samnites autem et Praenestini fere omnes iaculis configebantur [4]). Oppidum, quod etiamtunc maxime sortibus et oraculo et Fortunae templi celebratione opulentissimum erat, Sulla prorsus diripuit [5]). Magnum auri et argenti pondus in triumpho Romam transtulit, quod secundum Appian. l. l. maximam partem Praeneste ex oppido direptum fuisse consentaneum est, quamvis Plinius [6]) omne illud aurum et argentum a Mario Praeneste in oppidum ex Capitolio Romae antea delatum esse narret. —

---

1) Quid Damasippo factum sit Appianus non refert. Dio Cass. fr. peir. p. 657: *τοῦτο μὲν γὰρ αὐθημερὸν τὰς κεφαλὰς τοῦ τε Δαμασίππου καὶ τῶν συνεξετασθέντων πρὸς τὸ Πραινέστε πέμψας ἀνεσκολόπισεν.*

2) Auctorum de morte Marii iun. discrepantiam iam Vell. Paterc. II, 27, 5 adnotavit; Marium sese ipsum necasse narrat Plut. Mar. 46; Sylla 32 et Appian. l. l. 94. Eutrop. V, 8 tantum: (Sulla) ad mortem eum compulit; in ipso cuniculo eum periisse tradit Strabo V, 165 *ὧν (ἐξόδων λαθραίων) ἐν μιᾷ Μάριος πολιορκούμενος ἀπέθανεν*; quum e cuniculo emersisset ›a dispositis in id ipsum interemptum esse‹ Vell. Paterc. II, 27, 6; tentata per cuniculum fuga cum omnia septa intellexit ›iugulandum se Pontio Telesino (minori enim Vell. Pat. II, 27, 5) praebuisse‹ Aurel. Vict. de v. ill. 68, 3; cum eodem fugae comite ›stricto utrimque gladio concurrisse, quem quum occidisset saucium a servo impetrasse ut se occideret‹ Val. Max. 6, 8, 2. Oros. V, 21, Liv. epit. 88; a servo interfectum Diod. Sic. exc. 37, 2. Itaque fere omnes consentiunt Marium per cuniculum effugere tentasse.

3) Aurel. Vict. de v. ill. 75, 9. Florus III, 21, 23. Diodor. exc. XXXVII, 2.

4) Appian. l. l. 94 omnes Praenestinos interfectos esse narrat, cui addas Lucan. phars. II, 193 et Augustin. de civit. dei II, 28 tom. V col. 208 d edit. Basil. 1543. Cf. Dio Cass. fr. peir. p. 657. Val. Max. IX, 12, 1. De uno hospite Sullae, qui incolumitatem vitae repudiavit, cf. Plut. Sulla 39 et moral. (ed. R.) T. IX p. 249.

5) Appian l. l.

6) h. n. XXXIII, 1, 5. Harduinus ad l. l. multa fabulatus est de signis, quae et ipsa Sulla Praeneste Romam transtulisset, ad quam opinionem comprobandam laudavit Victor. de region. urb. Rom. VIII, ubi disseritur, ›de Iovis signo Praeneste devecto‹. Scilicet Harduinus ignarus erat

Nonnulli Praeneste penitus a Sulla deletum esse tradunt [1]), verum id per errorem; nam urbem etiam maiorem ab illo redditam esse demonstrabimus. Sed ne omnes quidem viri Praenestini interfecti sunt. Iam Appianus ipse l. l. 94 quum Marianae factionis senatores commemoraverit *etiam Sullanae factionis fuisse alios* testatur, igitur omnino etiam Sullae asseclae in ipso oppido exstiterant, quibus illum pepercisse manifestum est. Itaque verisimillimum est, a Sulla tantum viros adultos, qui contra ipsum arma gessissent, necatos esse neque MCC viris, qui numerus trucidatorum Praenestinorum plerumque affertur, obliviscendum est etiam Samnites interfuisse, quos propter summum in hanc gentem Romanorum et imprimis Sullae odium [2]) omnes interfectos esse consentaneum est. Accedit illud quod Praeneste paullo post ut antiquitus sedes fuit belli civilis atque pristinum rebellandi studium et incolarum multitudo illud reiiciendum esse comprobat, quod Sullam, ut urbem desertam novis incolis impleret, colonos illuc duxisse viri docti existimaverunt [3]).

Atqui inde ab expugnatione Sullae nova quasi aera Praenestis oppidi incipit. Oppidi situs prorsus commutatus est. Fortunae templum a Sulla, ut qui in homines peccasset, deos sibi amicos redderet, tantopere amplificatum est, ut totius oppidi pristinum spatium templi aedificiis teneretur [4]). Ipsum templum in medio fere monte exstructum est. Satis notum est hoc templum, cuius ad introitum tam amplae scalae ducebant, ut equitando quis ascendere posset [5]), iam ab ipsis veteribus scriptoribus in celeberrimis habitum esse atque Sulla in exstruendo illo summum studium et omne gloriae decus posuisse videtur, quum id solum felicitati suae defuisse confessus esset, quod capitolium non dedicasset [6]). Ad fundamenta struenda usus est antiquis oppidi moenibus polygonis; quae ipse imposuit moenia generis erant reticulati incerti, quod vocatur [7]). Oppidum quod hodie Palaestrina

---

Livii l. VI, 29, 8. Immo signorum numerus a Sulla auctus esse videtur, quum omnino templum Fortunae magnopere exornaverit et splendidius exstruxerit. — Alias Sulla templorum sanctitatem minime veritus est cf. Plin. l. l. XXXVI, 6.

1) Secundum Florum III, 21 et Plut. Sull. 28-32 etiam scriptores nostrae aetatis veluti Rotteck allgemeine Weltgeschichte 9. Aufl. p. 220.

2) Cf. Appian. b. c. I, 94: ὧν τοὺς Σαυνίτας ἔκτεινε πάντας (post pugnam quae ante portam Collinam commissa est) ὡς ἀεὶ χαλεποὺς Ῥωμαίοις γενομένους.

3) Westphal l. l. p. 103. — 4) Nibby l. l. I, 284. Cf. Tournon l. l. p. 98.

5) Cf. libellum, quem Colonnae anno 1304 de Palaestrina a Bonifacio VIII devastata composuere, ap. Petrin. p. 429: item dicunt in civitate Penestrina — et ruinae cum palaciis nobilissimis et antiquissimis et cum templo magno et solemni — et cum scalis de nobilissimo marmore amplis et largis per quas etiam equitando ascendi poterat — quae quidem scalae erant ultra C numero q. seq. Cf. Nibby p. 290.

6) Plin. h. n. VII, 43, 137 seq.

7) Cf. p. 12 et 13 not. 1. De hoc Fortunae templo fusius disserit Nibby l. l. p. 288 et alii passim; de basilicis Aemilia et Fulvia et de aliis aedificiis quae in scalis templi exstructa sunt

vocatur totum Sullani templi spatium non amplectitur [1]). Lithostrota prima Italiae Sulla in delubro Fortunae posuit, quae lithostrota certissime non eadem erant, quae hodie admiramur. Ibidem celeberrimum illud solarium constituit, de quo disserit Varro d. L. L. V, 2. Forum ad radicem montis exstruxit infra primum gradum, qui ad templum ducebat, id quod monumentis repertis et loci indole comprobatum est [2]). In superiore fori parte hemicyclium erat, in quo Tiberii temporibus fastos Praenestinos a Verrio Flacco ordinatos marmoreo parieti incidi iussit ordo decurionum populusque Praenestinus; in inferiore parte statuae ponebantur, quas gratae memoriae virorum de oppido bene meritorum populus Praen. dedicabat [3]). Forum Praenestinum curia, porticibus, aliis aedificiis ornatum fuisse ex inscriptionibus apparet [4]), at vero de Praenestino quoque foro non valere, quae Vitruvius V, 1; 2 de consuetudine Italiae urbium enarrat, neminem offendet, qui virorum doctorum de Vitruvii libris sententias legerit, quas C. F. Hermann (in libello, qui inscribitur die Hypäthraltempel des Alterthums p. 2 et 3) laudat.

Oppidum ipsum a Sulla in vallem deductum est. Sed Praenestini hoc valde inviti ferebant, et quamvis urbs muro massae quadratae quae vocatur firmiter cincta esset, ita ut Praeneste iam paucis annis post satis munitum et in bello civili metuendum esset [5]), tamen Praenestini veterem securitatem desiderantes imperatorum temporibus urbem in pristino loco restauraverunt [6]). Agros Praenestinos Sulla lege Cornelia militibus distribuit; Praeneste in oppidum coloniam deduxit et militarem quidem. Sed quum viri docti valde dubitent, quo tempore colonia Praeneste deducta sit, nec certum quidquam hac de re memoriae traditum esse videatur, facere non possumus, quin pluribus hac de re disseramus.

Suares. I, XV. Chr. Müller l. l. I p. 338-394. De reliquiis templi cf. praeter libros laudatos W. Gell l. l. p. 184 Capmartin l. l. 295 seq. 315 seq.

1) Winckelmanni opera Tom. XI, 1, 6. Nibby p. 288. 285. 291. Capmartin II, 295; alii passim.

2) Nibby l. l. I, 284. Chr. Müller l. l. p. 389. 390. Micali storia p. 203.

3) Gruter. 347, 6. Orelli 4360. 2627 et passim. Sueton de illust. gr.: Verrius Flaccus statuam habet Praeneste in inferiori fori parte contra hemicyclium, in quo fastos a se ordinatos et marmoreo parieti incisos publicarat. ›Foggin. ad fastos ex 3 cod. Vat. hanc lectionem attulit: in superiori fori parte circa hemicyclium marmori perite incisos. id quod Wolfius probavit‹. S. — Verum ea non est varia, sed diversa lectio et correctionem demonstrat scribae, qui ›circa‹ pro ›contra‹ legit neque ignarus fuit, fastos ipsos in superiore fori parte incisos fuisse marmori. Ex Sueton. l. l. apparet forum quodammodo declive fuisse et secundum situm urbis inferior pars in occidentem versus erat. Itaque quum consentaneum sit forum Praen. a Sulla ad formam Romani fori exstructum fuisse, in quo statuae in occidenti parte ponebantur (cf. e. g. Archäologisch. Intelligenzblatt 1835 p. 79) Fogginii lectio reiicienda videtur.

4) Porticus et curiam exhib. Gruter 172. Suares. I, c. XVI; theatrum et amphith. Petrini sub ann. 132. spoliarium Orelli 2532.

5) Cf. Cic. in Catil. I, 3 qui minime de sola arce loquitur.

6) Nibby l. l. p. 284. Chr. Müller l. l. I, 381.

Certa huius rei argumenta deesse, satis animadverterunt viri docti; neque omnino Livius neque Velleius Paterculus, qui colonias deductas dilucide recensent, quidquam hac de re tradunt; Praeneste in coloniarum numero non commemoratur neque a Frontino in libro, quem scripsit de coloniis, neque in monumento Ancyrano. Et primum quidem ipso verbo Praeneste colonia appellatur a Cicerone in Cat. I, 3 [1]), deinde in nonnullis monumentis, quae Augusti et Tiberii temporibus posita sunt, Praeneste colonia exhibetur [2]). Itaque certe ante Ciceronem consulem h. e. ante annum 691 coloniae deductio fuit. Neque minus certum est, Praeneste quo tempore lex Iulia lata est h. e. anno 664 coloniam nondum fuisse. Ex quo efficitur, coloniae Praeneste deductionem fuisse inter hos viginti septem annos, et quum de illo tantum tempore dubitari possit, verisimillimum esse, a Sulla coloniam revera deductam esse, quum non aliud inter hos annos tempus aeque commendetur. Verum etiam Sullae temporibus et illo ipso quidem anno, quo Praeneste ab eo expugnatum est, oppidum municipium appellatur apud Florum III, 21, 27 [3]), ex quo loco simul apparet, a Sulla ipso Praeneste coloniam militarem deductam esse, nam Florus „Praeneste, inquit, sub hasta venit" id quod signum erat coloniae militaris deductionis. Satis notum est, a Sulla permultas colonias militares deductas esse, Praenestinis autem valde iratus erat, ut iam per se consentaneum sit, misisse eum illuc milites, quibus agri magnam partem distribuerentur. Oppidum ipsum munitissimum et Romae vicinum, si fidem servabat, Sullae imperium reddebat tutum. Milites autem Praeneste deductos numero veteres incolas non adaequasse ex Cicer. leg. agrar. II, 28 [4]) colligitur, et iam Ciceronis ipsius temporibus fere omnia vestigia Sullani supplicii evanuisse videntur, quum ille ludos atque delicias Praenestis oppidi magnis laudibus extollat [5]). —

Insequenti bello civili prope factum est, ut Praeneste denuo vastaretur, atque incolae alienae culpae poenas darent. In bello enim, quod L. Antonius consul, triumviri frater, contra Octavianum gessit, Fulvia uxor triumviri Praeneste belli sedem elegit eoque se cum L. Antonio contulit. Receptis in suas partes populis, quorum agri militibus assignati erant, Caesari bellum intulit [6]). Frustra missis Roma legatis iam nova oppidi expugnatio imminebat; at Lucius Praeneste Perusiam se contulit neque bello illuc ann. 713 translato

---

[1]) Festus s. v. municipium nihil iuvat ad hanc rem plane exponendam. — Cicero autem et ipse illam sedem rebellandi metuisse videtur.

[2]) Orelli inscr. 1831. 3045. 3051: inscr.: paci Augusti sacrum‹ ap. Capmartin l. l. II, 318. alia.

[3]) ›Municipia splendidissima sub hasta venierunt (per Sullam) Spoletium, Interamna, Praeneste, Tibur. Cf. Augustini locum supra laudatum p. 29 n. 4.

[4]) ›At videmus agrum Praenestinum a paucis possideri‹. Cf. Frontin. de colon: ›Praeneste oppidum, ager eius a Quinqueviris pro parte in iugeribus assignatus est.‹ —

[5]) Ad Attic. XII, 2 Ludi interea Praeneste — et quidem ludi dies octo; quae coenae, quae deliciae! Cf. pro Planco 26. — Ad ludos Praenestinos spectant inscr. ap. Gruter. p. 483 aliae.

[6]) Liv. epitom. 115. 117.

Praenestini quidquam mali perpessi sunt [1]). Lucius Antonius, ut Praeneste excederet, eo adductus esse videtur, quod fidem praestare noluerunt Praenestini, quorum patronus ille fortasse erat [2]).

Melior Praenestinorum condicio fuit imperatorum Romanorum temporibus; nam oppidum Caesaribus fere omnibus satis gratum fuisse videtur, et pro certo habendum est, caesaream villam in Praenestino agro fuisse neque imperatores propria domo usos esse. Augustum libenter Praeneste recessisse supra demonstravimus, et omnino imperator ille Praenestinis gratissimus fuisse videtur, quum eximium erga Augustum eorum amorem magnus inscriptionum numerus testetur. Augusti etiamtunc viventis et postea divi flamen Praeneste erat, quod sacerdotium usque ad annum 243 p. Chr. durasse existimandum est [3]). Insigne Praenestinorum erga Augustum studii testimonium exhibent lithostrota illa clarissima, quae Praeneste sub primo ad templum gradu reperta admirationem adhuc excitant. Cuius rei solus Plinius ita mentionem facit (h. n. XXXVI, 64) ut simul comprobet, illa lithostrota, quae Plinii tempore parvulis crustulis exstabant, non eadem fuisse, quae hodie admiramur. Atqui haec altera lithostrota Augusti temporibus, certe non ante illum, posita sunt atque eundem imperatorem Aegypti sub Cleopatra victorem ostendunt, quercu coronatum, legionum aquilis cinctum. Initio mensis Augusti Aegyptus ab Augusto recepta est, quo tempore Nilus ripas excedit, quem aquarum magnae undae ostendunt [4]). Augustum item quercu coronatum fasti Praen. idib. Ian. exhibent et expugnationem Aegypti summum gaudium excitasse et magni momenti visam esse etiam in municipiis et coloniis ea re comprobatur, *quod illa in fastos recepta est* [5]). Denique praetermittendum non videtur hodierna lithostrota prorsus alio loco reperta esse atque illo, quem Plinius l. l. indicat, qua re Nibby l. l. p. 292 qui Sullana et nostra pavimenta eadem esse falso existimavit, in eum errorem ductus est, ut duo templa Fortunae Praeneste fuisse male contenderit.

---

1) Dio C. XLVIII, 10 et Vell. Paterc. II, 74 solam Fulviam Praeneste se contulisse tradunt; Appianus vero, quem sequuti sumus, d. b. c. V, 21 accuratius rem enarrat.

2) Nam huc referendum existimo Ciceronis mordax et ambigua illa sententia (philipp. VI): iacent beneficia Nuculae (cf. p. 10 n. 6), friget patronus Antonius.

3) Cf. Orelli inscr. 2391. flamen Augusti viventis 3874, divi 2303. 2532 alias.

4) C. O. Müller l. l. §. 323 p. 438, qui et ipse Sullana lithostrota diversa a nostris esse censet atque in his alteris Aegypti terrae descriptionem perspicit, laudat libr. qui inscr.: Fea L'Egitto conquistato dal Imp. Cesare Aug. sopra Cleopatra e M. Ant. rappr. nel musaico di Palestrina. Hic liber, cuius titulus index argumenti est, mihi non ad manum erat.

5) Calend. Antiat. initio mensis Aug.: EK . AUC IV P Aug. Alexand. recepit. — Augusti erga Verrium Flaccum summus favor in omnes Praenestinos redundasse videtur; nam Patronum Praenestis oppidi aut Caium aut Lucium Aug. filium fuisse testantur inscr. ap. Grut. p. 234 et 235 atque Germanicus filius fratris Tiberii et Drusus fil. Tib. Praeneste munere quinquennali functi sunt Augusto etiamtunc vivente. Orelli inscr. 3874.

Etiam magis Tiberius Praenestinis, ad quos iam pater anno 714 fugerat [1]), favisse videtur. Aulus Gellius enim (n. a. XVI, 13) scribit Praenestinos, „maximo opere petiisse orasseque a Tiberio, ut ex colonia in municipii statum redigerentur" [2]). Idque factum esse a Tiberio [3]), quia sub ipso oppido ex gravi morbo convaluerit [4]). Nec reiicienda videtur Gellii narratio; rem enim ex imperatoris Hadriani oratione quadam tradit, quem ex actis imperatorum, certissimo fonte, retulisse consentaneum est; unde factum est, ut Frontinus, qui Nerva imperante librum de coloniis scripsit, Praeneste non coloniam, sed oppidum appellaverit. Praenestinos libertatis amore, ut illud sibi expeterent, ductos esse facile perspicitur: nam colonorum iusto maior erat nominis Romàni iactatio, neque civitatis iura, quae ipsis concessa erant et quibus uti poterant, magni aestimanda sunt.

Idem Tiberius imprimis maiestatem sortium Praenestinarum veritus est [5]) et quamvis asylorum vim moremque aboleverit [6]), tamen id graecas tantum urbes spectasse videtur [7]), quorum in numero Praeneste non habebatur.

Tiberio imperatore fortasse ante quartum Tiberii annum [8]) fasti Praenestini auctore Verrio Flacco publice propositi sunt in superiore fori parte marmori perite incisî. Male a nonnullis id iam Augusto imperante factum esse contenditur, quum, ut alia praetermittantur, die VIII ante cal. Mai. in fastis Praenestinis Augustus divus appelletur, et rectissime Rud. Merckel [9]) comprobat fastos Praen. non ante propositos esse quam Tiberius calendas Apriles, quae sub Augusto nefastae fuerant, fastas reddidisset. Quum Fasti liberam municipii auctoritatem neque coloniae omnium rerum obedientiam exhibeant, probabile videtur, eos publice propositos esse postquam Praeneste a Tiberio in municipii formam redactum est. Ferias quidem, quae IX Cal. Mai. erant, fasti Praenestini praetermittunt illumque diem fastum esse notant atque dies Alliensis (XV Cal. Aug.), quamvis Augustus eum anno fere 746 abesse decreverit, nihilominus in fastis Praenestinis commemoratur, qui *post illud decretum* propositi sunt [10]), alia. Denique statua Verrii Flacci,

---

1) Sueton. Tiber. c. 4.

2) De bona municipum condicione nostra aetate complures viri docti disseruerunt. Etiam Perusini omni coloniae Romanae iure utebantur et municipii condicionem repetierunt. Grotef. l. l. IV, p. 51.

3) Fortasse anno 17 p. Chr. n. Gruter. inscr. 160, 2, certe ante annum 26, quo Tiberius odio humani generis Roma egressus est.

4) Suetonius Tiberium principem fere semper bona valetudine usum esse narrat (Tib. 68), sed Augusti epistola (Tib. 21) huc referenda videtur.

5) Sueton. Tiber. 63. — 6) Sueton. l. l. 37. — 7) Tac. ann. III, 60.

8) Foggin. ad fast. Praen. c. IX.

9) De fastis qui dicuntur Maphaeanis schediasma scripsit Rud. Merkel (Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft 1840 nr. 69 p. 562)

10) Merkel l. l. nro 70 p. 568.

quam eodem fere tempore positam esse consentaneum est, Praeneste coloniam non exhibet. Nam quae Orellius (inscr. 1167) contra auctoritatem huius argumenti disseruit, ad comprobandam eius sententiam non sufficere videntur [1]).

Nerone imperatore nomen Praenestis denuo terrori fuit, quum (anno 64 p. Chr.) gladiatores ibi tumultum excitarent atque Spartaci terrores redire crederentur. Verum illi statim coerciti sunt et quies facile restituta est [2]).

Servilem erga pessimos principes adulationem Praenestini aeque atque omnes praestabant et fere unicuique postquam imperium nactus est sive is deterrimus fuit sive optimus, statua publice posita est, id quod ea re effectum esse videtur, quod imperatores Praeneste in villam Caesaream recedebant [3]). Imperatorum temporibus Romae in urbe sors totius imperii posita erat, penes reliqua Italiae oppida nulla erat libera agendi ratio: narranda sunt non quae fecerunt oppidani, sed quae in oppidis facta sunt; illi agere fere nihil potuere, pati permulta.

Tantum in bellis civilibus nonnunquam alicuius momenti erat, quasnam partes sequerentur Italiae florentissima oppida; bellorum calamitates ab utrisque timebantur. Et in bello quidem, quo Vespasianus Vitellio raptum imperium eripuit, Praenestini Vitellio fidem usque ad finem servasse videntur, ita ut Vitelliani inter Tibur et Praeneste contra hostes, qui Carsulis venerant, castra ponerent [4]).

---

1) Nam ordo Augustalium non ›serius‹ sed anno 767 (14 p. Ch.) institutus est; Tac. ann. I, 54; eo quod in inscriptione: Pal. (ex tribu Palatina) additum erat, Verrius Flaccus libertus vel libertinus designabatur (Zaccar. instit. Lap. II, 1, 6. Petrini ann. 22 p. Chr.), ita ut litterae: Q. F. errorem non excitarent; Hieronymi autem de praenomine non tanta est auctoritas, qua inscriptionis integritas omnino refellatur.

2) Tac. ann. XV, 46.

3) Privati hominis votum pro salute et reditu Caligulae (Sueton. Cal. 14) exhib. inscr. ap. Orell. 1279. Praenestinos quoque ›piis, fidelibus‹ Claudii legionibus (XI et VII) interfuisse test. inscr. ap. Gruter. p. 565.

4) Tac. histor. III, 57; 60. Carsulis et via Praenestina et via Tiburtina Romam aggredi poterant. Tab. Peuting: Praeneste ..... Treblis XI
.... XV. — Tournon l. l. II, 160, praeter illam viam, alteram, et ipsam secundum tab. Peut. exhibet: une voie conduisant de Rome a Carsulis par Praeneste: Praeneste ..... Treblis XI
..... Carsulis XV. Iam Westphal l. l. p. 105 recte adnotaverat ad tab. Peut. vocem ›Carsulis‹ lacunae loco ponendam esse, sed male ita ut numeri manerent, quamvis l. l. p. 107 locum inter Carsulas et Praeneste positum non posse inveniri ipse confessus sit. Verum revera Praeneste Treblis distat mill. XXV vel XXVI, et Carsulae Praeneste distant mill. fere XV; igitur legendum esse censeo: Praeneste ..... Carsulis XV
..... Treblis XI.

Fortasse illud quoque Vitellii amorem testatur, quod neque Vespasianum neque Titum ulla inscriptio exhibet.

Verum maximam partem solae sortes, quae antiquitus Fortunae Praenestinae templi decus fuerant, tunc oppidi gloriam divulgabant, ita ut plerumque in sortibus, qualis erat earum aut auctoritas, aut contemptus, sors Praenestinorum posita esset. Quo factum est, ut Domitianus magnopere Praenestinis faveret, nam „per singulos annos sortium oracula sibi expetivit, laeta per totum imperii spatium, extrema tristissima“ [1]). Itaque Praenestini, qui omnium imperatorum honorem statuis celebrabant, Domitianum valde adulati sunt et in inscriptione eum Germanicum appellarunt. Neque enim est, cur hac de insriptione Orellius dubitet, quum Sueton. Dom. c. 13 illud cognomen a Domitiano ex superbia assumptum esse comprobet, neque unquam principum adulatores defuerint et J. Lipsius in multis nummis Domitianum Germanicum appellari testetur [2]). Quid quod Statius (silv. IV, 4, 15) Praeneste *sacrum* appellasse videtur, quo Domitianum et seram [3]) imperatoris sortium celebrationem adularetur.

Eadem erat erga malos et bonos principes adulatio. Faustina uxor M. Aurel. Anton. Philosophi antequam ille imperator factus est mortua erat, mala mulier, uxor pessima. Ex voluntate Antonini Philos. etiamtum Caesaris Senatus Romanus Faustinam deam declaravit [4]). Nec Praenestini defuerunt, nam libenter Antoninus Praeneste secessit ibique filium Verum Caesarem amisit [5]). Schola Faustiniana Praeneste quoque condita est, et puellarum Faustinianarum ad usum domus C. Valerii Hermaisci templum Serapis ann. 157 p. Chr. exstruxerunt [6]). Et schola Faustiniana et templum Serapis in una eademque scala illarum, quae ad Fortunae templum ducebant, condita esse videntur [7]), et quum praeter illud magnificum templum etiam alia exstructa essent, hac quoque re comprobatur, quam parva sit sola reliquiarum auctoritas ad locum quo templum Fortunae exstiterit accurate describendum. Notus est Hadriani amor erga Antinoum quemdam iuvenem atque locus, quo statuam mythici Antinoi Hamilton ann. 1835 effodit et quo eodem insequenti anno aliae res effossae sunt, fortasse locum domus caesareae demonstrant [8]).

---

1) Sueton. Dom. 15.

2) Orelli insc. 769. J. Lipsius in vita Taciti: exstant nummi non pauci cum his notis: Imp. Caes. Flav. Domitianus. Aug. Germ. Pont. Max. q. seq.

3) Cic. de div. II, 85: quis enim magistratus q. seq. — 4) Dio LXXI, 30. — 5) Jul. Capit. M. Ant. Phil. 21.

6) Orelli inscr. 1895. Gruter. 85, 2 q. seq. Petrini s. a. 140 et 157 p. Chr. Faustinam uxorem Antonini Pii fuisse enarrat; scilicet eo adductus esse videtur, quod Anton. Philos. anno 157 quo templum Serap. conditum est, imperator nondum erat. Idem s. ann. 117 Trajani flamines Praeneste fuisse contendit sec. Volpium de Praen. c. 6 p. 130, quem librum ego non legi.

7) Capmartin l. l. II, 295.

8) Cf. Archäolog. Intelligenzblatt 1836 p. 36 q. seq. — Inscriptionem in Pertinacis honorem (Grut. 26, 4) male suspectam esse censet Orelli 898. Caracallae inscr., qui anno 213 p. Chr. titulum Germanici assumpsit, vide ap. Grut. 150, 5. — Alexander Severus sortium Praenestinarum oraculum sibi expetivit, quum Heliogabalus ei insidiaretur, hocce: Si qua fata aspera rumpas, Tu Marcellus eris; Ael. Lamprid. Alex. Sev. 4.

Atqui templum Fortunae et sortium oracula fuerunt, quae oppidum per longum tempus opulentissimum reddiderunt et gloriam urbis antiquitus receptam sustinuerunt. At vero impedire non potuerunt, quominus christianae religionis asseclae ad ipsam Deae Primigeniae sedem existerent. Famam sancti Agapiti, primi religionis christianae Praenestini martyris, satis superque scriptores historiae Praenestis tractaverunt, et quamvis plurima posterorum addiderit credulitas, tamen revera Praeneste a christianis gravissima supplicia sumpta esse vel maxime verisimile est, neque refellendum videtur, quod censet Suaresius l. l. II c. 3, Aurelianum imperatorem ipsum Praeneste fuisse diversatum, ut Fortunam coleret eique vota persolveret atque hostias immolaret [1]). Nam Aurelianus omnium rerum, quas imperabat, ipse dabat exemplum, et militaris disciplinae aeque ac morum dissolutorum, quibus veteris religionis contemptum adnumerabat, eum "acerbissimum fuisse correctorem" testatur Eutrop. IX, 14 [2]). — Id quod plerisque Praenestinis gratum acceptumque fuisse videtur. Nam ex honorifica inscriptione, quam laeti incolae oppidi Juliano Apostatae posuerunt [3]), qui leges Constantini adversus paganismum sustulisset [4]), recte concludi videtur, Praeneste in illarum urbium numero fuisse, quae legibus illis Constantini eiusque filii [5]) non obsequutae erant. Sed breve erat gaudium; nam Theodosius anno 394 asperam adversus paganismum edidit legem [6]), cui ut omnes obsequerentur strenue curavit, ita ut recte Petrini illo anno templum Fortunae in perpetuum clausum esse contendat [7]). Atqui ubi primum crux pro Fortunae simulacro posita est, et publice praedicatores filii unigeniti locum sacerdotum Deae Primigeniae obtinuerunt, gloria Praenestis evanuit neque per totum medium aevum Praenestini se a partium studiis aut ira defendere poterant, cuius malae condicionis finem non Fortuna *oppidi custos* reversa, sed inimicus Vulcanus nostris diebus adduxisse videtur, ut qui primum oppidi conditorem genuerit, ultimam prolem eiecerit ex sede antiqua [8]).

---

1) Cf. Petrini ann. 274. p. Chr.

2) Cf. Vopiscus: Aurelianus 38. 7. —

3) Petrini inscr. Praen. II, 18: D.(omino) N.(ostro) Cl.(audio) Juliano ..... Triumfatori. Semper. Aug.(usto) Ordo Populusque Praen.

4) Liban. orat. 12. — 5) Leg. 2 Cod. Theod. de Pagan.

6) Gothofr. in leg. 10 Cod. Theod. tit. de Pagan. Zosimus VI, 59: sacrificia amplius fieri vetat Theodosius 394.

7) s. a. 394: io tengo — che questo sia l'anno, in cui furono di nuovi chiusi e posti in perpetua oblivione i nostri Sacrarj della Fortuna. Loquendi modum hominis [gentilis anno 386 iam christianismum aliquatenus redolere observat Orelli insc. 4360.

8) De hac hodierna Praenestinorum fortuna adversa cf. p. 10 n. 2. Brevem adumbrationem historiae Praenestis oppidi in medio aevo dedit Nibby et Chr. Müller l. l. Praeterea eam scripserunt, qui laudati sunt viri p. 3 n. 2. Anni 408 inscriptionem attulit Angel. Mai: inscr. vet. nova collect. Tom. V p. 278 cf. Orelli inscr. 105.

THESES.

I.

Lectio codd. ap. Liv. VI, 30, 9 (ed. Drak.): „Eodem anno etiam ipsis querentibus" non prorsus absurda est, ut interpretes censent.

II.

Verba ap. Tac. Germ. 26: „arva per annos mutant" ita explicanda sunt, ut Germanos ex Taciti sententia *sede per annos mutata* arva mutasse existimandum sit.

III.

Rejicienda est sententia, Tacitum in Germ. aetatem quamdam barbariae, non populum quemdam barbarum descripsisse. (Guizot. — Academ. franc. ann. 1838: Tacite peint souvent moins un peuple barbare, qu'un âge de la barbarie).

IV.

Caesar non plane perspexit, qua re Germani et Galli inter se differrent.

V.

Religio christiana et Germanorum de servitute reali institutiones Graecorum et Romanorum servitutem personalem sustulerunt.

VI.

Servitus personalis, quatenus continua cujusdam in civitate ordinis condicio erat, fine saec. XI in occidenti Europae parte desiit.

VII.

Non probanda est Meidingeri de Celtarum origine sententia (die deutschen Volksstämme geographisch und geschichtlich beleuchtet. Frkft. a. M. 1838 p. 107 q. s.).

VIII.

Hiberniae salus in revocanda unione cum Britannia (act. parl. 1 et 22 Jan. 1801) ponenda est.